eam nihilominus exigit adhuc tamquam virtutem necessariam ad sese invicem sustinendos. Neque ideo intelligit neminem esse umquam corripiendum, sed jubet a charitate opportunum eligi tempus, locum, & modum correctionis faciendæ. *Idem ibidem.*

Lenitas non debet otiari, sed debet cum zelo conjugi.

Lenitas nequaquam intelligenda est de mollitia spiritus frigidi, neque de vita tepida, atque insipienti; neque sita est in fatua quadam suavitate, quæ vel temperamenti sit, vel adfectationis, vel illusionis, sed in suavitate gratiæ, charitatis, atque patientiæ, suavitate virtutis, quam nemo adipiscitur, nisi sibimet vim faciens. Intelligenda est de animæ nostræ docilitate, quæ in manu Dei sese reddit flexilem, tractabilemque. Nequaquam Spiritu Sancto repleti sumus, cum permanentes in tranquillitate lenitatis non adjicimus ardorem zeli, vel zelo succensi suavitatis virtutem amittimus. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 9.*

Sancti omnes in lenitatis virtute excellunt.

Dicere possumus lenitatem in omnibus Sanctis enituisse. Patientia, & humilitas, necessarii Sanctitatis fructus separari non possunt a modestia, & lenitate, quæ quolibet tempore virtuti amorem conciliarunt. Deficere lenitate, & compatienti charitate, est virtutibus deficere. Quænam illusio est arbitrari, nos pura charitate actos, operari, zelumque nostrum animari amore Dei, & proximi, cum assertus zelus iste erumpit in invectivas, in verba aspera, & acria, in injurias, atque calumnias? Quinam error arbitrari, nos animari spiritu Dei, & salutis animarum causa, cum peccatorem volumus exterminare. Odisse profecto debemus peccatum, non illi parcere, neque eidem assentari, sed erga peccatorem habenda sunt viscera paterna. Ægrotus est curandus; non occidendus; ægrotantem palpare non decet, sed charitas exigit, adhibeantur omnia lenimenta, quæ aliquid conferre possunt ad illum curandum; utendum quidem est aliquando pharmacis amaris, & quæ nauseam creant, sed medicus misericors quas non adhibet artes, ut iisdem aliquod præstet lenimentum? *P. Croiset in Asceticis Exercitationibus. Tomo 2.*

Quænam sit ca lenitas quam 3. C. inter beatitudines numerat.

Mites, proprie loquendo, illi sunt, qui haud ægre iræ suæ motus coercent, affectus istius, qui ad injuriarum acceptarum ultionem impellit. Lenitas autem ex duobus oritur principiis. Oritur primum ex lumine naturali, quod aperit nobis iræ malum, & deformitatem, cum rationi non subest, ac patet. Lenitas, qua tunc utimur ad evitandum dedecus, & probrum iracundi, moralis est virtus, quam ipsi etiam Ethnici Philosophi cognoverunt. Secundo lenitas oritur tum ex magno amore erga Deum, qui efficit, ut propter ipsum patiamur graves contumelias, cum ex magno nostrummetipsorum odio, quod efficit, ut hujusmodi injuriis ne afficiamur quidem. Lenitas hæc non solum est virtus Christiana; sed in homine Christiano virtus est heroica. De hoc gradu perfectissimo lenitatis, Salvator hic loquitur: *Beati mites.* Matth. 5. In hac enim perfecta lenitate invenitur felicitas, & requies super terram. Habemusne virtutem hanc adeo plenam illecebris? Hæc in se cor nostrum dumtaxat respondere potest. An fortasse non secus ac tot alii meram habemus speciem lenitatis? Tamen non de illis, quibus satis est, si mites videantur; sed de iis, qui reipsa mites sunt dixit Salvator: *Beati mites, quoniam possidebunt terram.* Quam mendicus, heu! numerus est hujusmodi Beatorum! *P. Segneri in Meditationibus.*

Cur lenitas nota sit prædestinationis. Matth. 21.

Lenitas perfecta prædestinationis nota est. Primum similes nos efficit Jesu Christo, qui assumpsit illam, ut ita dicam, veluti caracterem suum: *Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Secundo lenitas nos amovet a sexcentis peccandi occasionibus; quia destruit in nobis iram, quæ ex capitalibus noxis una est. *Qui ad indignandum facilis est erit ad peccandum proclivior*, ultio enim objectum est iracundi; cumque nihil illi accidat dulcius, quam ulcisci, ad id nihil intentatum relinquit. Tertio lenitas mirum in modum nos præparat ad recipiendam gratiam, quæ efficit, ut facilius operemur bonum, quoniam anima statuit in perfecta tranquillitate. *Mansuetis dabit gratiam. Idem.* Prov. 3.

Lenitas, & moderatio plurimum conferunt ad acquirendam, tuendamque spiritus unitatem cum omni genere ingeniorum.

Unitatis conservatio finis est, & fructus humilitatis, suavitatis, patientiæ, humanitatis, quæ vicissim homines ultro citroque se sustinent. Hoc tantum bonum est, & adeo salutare, ut non liceat illud nullo in discrimine habere. Accurate laborandum est ad illius acquisitionem; si enim cura desit, nemo speret se illud consecuturum. Nimium diversa sunt ingeniorum genera, & opinionum in societate; & diversitas hæc necessario parit dissidia, nisi omnis adhibeatur diligentia ad omnia eorum suffocanda semina, seu illa evitando per humilitatem, & lenitatem, ne cuiquam præbeatur occasio conquerendi; seu cum patientia, & charitate sustinendo quidquid asperum, & inconstans in eorum ingeniis, moribusque invenitur. Ubi vero adepti fuerimus magnum hoc unitatis bonum pretio charitatis, patientiæ, lenitatis & humilitatis nihil est, quod nobis efficiendum non sit, nihil quod nobis non sit perferendum potius, quam illius jactura. *Tourneux in Anno Christiano. Tomo 10.*

JUDICIUM PARTICULARE

De nostrum singulis in ipso mortis nostræ momento habendum, & quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.

NEmo unus inter Fideles est, qui scire non debeat, duos esse dies in Providentiæ statutis notatos, & quibus omnes homines coram Deo prodire debent rationem de actionibus suis reddituri, ac deinde supremi hujus Judicis sententiam subituri. Priorille est, quo quisque ex hac egreditur vita; alter vero post sæculorum finem, quo omnes simul homines ad terribile illud Tribunal procedent. Primum illud judicium particulare, alterum generale vocatur; de utroque duobus titulis a nobis seorsim agendum est, quemadmodum illa etiam inter se longo temporis distant intervallo.

Quod ad primum pertinet, infrequens auditur de suggestu sermo, & de eodem pauca in Asceticis libris inveniuntur; quapropter non ita facile nosmet inter ea continebimus, quæ illud a generali judicio distinguunt, quin aliquid attingamus eorum, quæ sunt utrique communia; Scripturæ enim, Sanctorumque Patrum loci, exempla, timoris causæ, atque utriusque judicii exitus ad alterutrum indiscriminatim possunt transferri. Attamen reor in hisce collectaneis meis satis, & abunde inventum iri ea, quæ utrique argumento sufficiant.

Animadvertendum dumtaxat est, quemadmodum particulare judicium propius imminet, ita hoc majorem in nos vim habere posse, & sin minus locus hic patet speciosis eloquentiæ amplificationibus, atque motibus adeo patheticis; vicissim non deesse aliquod magis pertimescendum, & quod nos magis moveat, quibus jam persuasum est, non ita multo post in hoc judicium esse prodeundum.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Systemata.

I. IN eo judicio, quod de unoquoque post singulorum obitum instituendum est, tria possunt considerari: Vel si mavis, peccatores exhiberi possunt tribus in circumstantiis, quæ tunc occurrunt, & quæ mentem nostram valent permovere. 1. Peccator in jus vocatus, ut se in Dei sistat judicio: 2. Peccator in hoc judicio accusatus, ac de iis, quæ perpetravit sceleribus convictus, sine ulla excusatione, atque responsione. 3. Peccator in hoc eodem judicio damnatus degretoria, atque irrevocabili sententia.

Pars prima. Peccator in jus vocatus, ut se in Dei sistat judicio. 1. Formido, qua percellitur anima, quæ momento hoc se ab omnibus separatam videt; extra corporis sui carcerem, extra visibilem hunc mundum, extra temporis limites, extra sæculi sodalitates; verbo, sola, quin secum ex hoc mundo aliquid avebat, præter actiones suas, quæ justa causa sunt ejusdem timoris. 2. Terror, quo tunc temporis corripitur similis illi, quo percussus fuit Balthassar, ubi vidit manum in convivalis aulæ pariete scribentem suæ mortis sententiam, quin intelligeret, quid scriptio illa significaret; Faciei pallor, atque totius corporis tremor satis innuebat, omnia illi in adeo miro, & inexpectato eventu esse metuenda. 3. Judicari potest quos in peccatore tumultus tunc cieat noxia conscientia, illum in antecessum accusans, & damnans, præsertim ubi cogitat nullam amplius superesse viam flectendi judicis irati, coram quo sibi prodeundum est, ac illius per pœnitentiam exorandi tempus jam effluxisse, neque ullam reliquam esse rationem, qua illum sibi valeat delinire. 4. Ubi considerat quanti momenti sit negotium, de quo postremæ disceptationis judicium habendum est; videlicet de æterna felicitate; vel infelicitate, de cujus eventu plurimum illi pertimescendum est, qui saluti suæ nequaquam prospexerit. Frustra inducias, ac dilationem deprecabitur: *Inducias usque mane*, atque frustra illum pœnitebit, quod hac in re non satis curæ, atque sedulitatis impenderit.

Pars altera. Peccator in Dei judicio accusatus: anima enim a corpore sejuncta statim ad Judicis sui tribunal rapietur examen subitura; sed cujusnam Judicis? Sed quodnam examen? Ad trutinam revocabuntur 1. commissa peccata; 2. omissa bona, 3. bona eadem male peracta; 4. beneficia, quibus a Deo cumulatus fuit, & quibus abusus est; lumina, & gratiæ, quibus præventus fuit, & quæ ipse contempsit; sanctitas status, ad quem fuit evocatus; media tuta, & facilia, quibus salutem operari poterat, & quæ ipse neglexit. Ratio ex illo expetetur naturalium talentorum, quibus præditus fuit, & quomodo iisdem ad salutem fuerit usus; ratio bonorum fortunæ, & in quos usus eadem impenderit; ratio peccatorum, quorum extiterit causa, vel quæ minime prohibuerit: denique ad examen vocabitur modicum etiam illud boni, quod fecerit, ut illius defectus innotescant; verbo: singula diligenti trutina ponderabuntur: *Cuncta quæ fecerit, adducet Deus in judicium.* Eccl. 22. Deus huic animæ omnes ejusdem actiones, peccata ostendet omnia, non amplius secundum fallacem sensuum, affectuumque lucernam, sed secundum ipsius veritatis lumina. De illis judicabit tamquam Deus judex; illa non confuso, ac superficiali tantum intuitu, sed distincta, omnibusque circumstantiis suis convestita videbit; ita ut victa fine ulla excusatione, ac defensione obmutescet, atque seipsam damnabit.

Pars tertia. Considerandus erit peccator in hoc judicio damnatus, irrevocabilis sententia, quæ continet 1. Reprobationem rei, qui actus est intellectus, quo Dei Filius supremus ejusdem Judex cum omnes vitæ ipsius actiones districtissimo judicio appenderit in statera, judicabit illum beatitudine, gloria, & bono omni indignum: 2. Infallibile judicium, nulli errori obnoxium, nec dolo, uti humana judicia sunt. 3. Judicium, & sententiam, propter quam Deus in æternum peccatorem derelinquit, eumque in dæmonum manus tradit &c. 4. Sententiam, quæ statim in arena adimplebitur; ita ut anima reprobata ipso statim suæ reprobationis momento infelicissimam videat æternitatem, quæ sese ob oculos ipsius explicabit, atque omnem simul, ut ita dicam, infernum patietur, &c.

II. Post traditum discrimen, quod inter particulare, & generale intercedit judicium post sæculorum finem habendum, ostendendum est particulare quantumvis severum, rigidumque sit, in ipso statim mortis exitu esse instituendum.

1. Judex semper est præsens; etenim est Homo-Deus, qui quatenus Deus est ubique, & replet omnia, & quatenus homo omnia cognoscit; atque ostendendum est, ipsum in utraque qualitate teneri de hominibus habere judicium, omniumque actionum ab illis peractarum rationem exposcere. 2. Accusator non longe abest; dæmon videlicet, qui in Apocalypsi fratrum accusator vocatur, & qui interitum nostrum peroptans, nos de peccatis omnibus accusabit, quæ patraverimus, atque levissimis conjecturis innixus ficta etiam supponet; contra vigilantem hunc, infensumque actorem causa nobis erit peroranda. 3. Testis nostra erit conscientia; atque anima tunc a corpore sejuncta falli non poterit neque per ignorantiam, neque per oblivionem, ideoque sciens statum illum, in quo est erga Deum, se ipsam judicabit, condemnabitque.

III. 1. Sæpe animo repetendum est illud judicium, quod in ipso mortis singulorum momento erit habendum: Fides, ratio, Ecclesiæ, Patrumque omnium auctoritas admonet non fore tempus hoc cogitandi in ipso mortis articulo, quo in jus erimus prodituri. 2. Quomodo hoc animo repetendum sit; videlicet sese eidem præparando, conscientiæ suæ consulendo, prævertendo examen, atque judicium, quod fiet de nobis, nosmetipsos dijudicando. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, & ut verbo me expediam, videndo, quid respondere poterimus Deo, quem nihil latebit, & qui nemini parcet. 1. adCor. 11.

IV. 1. Solus coram solo Deo apparebit peccator: Hæc prima erit pars. 2. Solus respondere debebit Deo, qui accusator erit, judex, & omnium testis actionum. *Essais de Sermons in Dominicali.*

V. Hoc nobis justum hujus judicii metum debet incutere; 1. quod judicem, actoremque habebimus Deum sapientissimum, quem ne minima quidem factorum latere potest circumstantia. 2. Deum irritatum, cujus gratias contempsimus, cujus beneficiis abusi sumus, & cui sævissimas nos intulisse contumelias scimus; sed qui tunc severissimam ex nobis exposcere ultionem & volet, & poterit.

VI. De similitudine quæ interior inter peculiare judicium, quod statim post mortem fiet, & generale post sæculorum finem habendum.

1. Non deest ratio quædam similitudinis inter signa, quæ utrumque judicium præcedent. *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, virtutes Cœlorum commovebuntur*, &c. quæ affabre applicari possunt, quemadmodum præstit P. Delingendes. 2. Criminum discussio utrobique erit diligentissima, cum hoc tamen discrimine, quod si in particulari judicio salutari littera absoluti fuerimus nihil nobis erit metuendum in generali. 3. In utroque eadem sententia feretur, vel ut melius dicam, illa, quæ in generali proferetur, non aliud erit, quam confirmatio illius, quæ lata fuerit in particulari.

VII. Duo in nobis sunt, quæ necessariam habent relationem cum judicio Dei, fides videlicet, atque ratio. Quatenus Christiani habemus fidem, quatenus homines rationem. Fides est lumen supernaturale, quod a Deo in Baptismo recepimus; ratio vero est lumen naturale, quo in ipso vitæ hujus exordio donati sumus. Ex his autem duabus regulis, quæ omnem vitæ nostræ rationem regere debent, atque ex his duobus luminibus, duplicique hac cognitione Deus nos judicabit.

1. Quatenus Christianos per fidem judicabit. 2. Quatenus homines per rationem. Judicii severitas innixa fidei Christiani. Judicii severitas innixa rationi hominis peccatoris. *Hoc unum est ex argumentis P. Bourdalove de generali judicio, quod tamen & particulari æque convenit.*

VIII. 1. Mortem terribilem efficit subsequens illam judicium, in quo nobis ratio erit reddenda omnium actionum nostrarum, ut debitam illis mercedem feramus, vel pœnam. 2. Judicium vero terribile efficitur examine præcedente. *Si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?*

1. Petr. 4.

IX. 1. Insipientia plurimorum hominum de judicio Dei non cogitantium, nisi cum in illud sibi prodeundum est. 2. Timor, ac tremor eorum ante hoc Tribunal prodeuntium, quin antea rationes suas supputarint, atque conscientiæ suæ consuluerint. 3. Eorum desperatio, cum se juste supplciorum æternitati addictos intuebuntur; & in conclusione, quid faciendum sit ad hæc omnia evitanda.

X. Pro concionis partitione desumi possunt tria verba, quæ olim divinitus ignota manus in aulæ pariete impii Balthassaris descripsit, dum ille in convivio, quod mortem illius præcessit, epularetur. *Numeratum est, appensum est, divisum est.*

Daniel. 5.

1. *Numeratum est*. Omnia recensita, numeratæque sunt; videlicet districta reddenda ratio erit eorum omnium, quæ diximus, fecimus, cogitavimus. 2. *Appensum est*. Singula ad pondus Sanctuarii, atque in statera judiciorum Dei ponderabuntur. 3. *Divisum est*. Hoc est; Malum quod in optimis actionibus nostris invenietur, separabitur; vel non a viventium tantummodo, verum etiam a beatorum, ipsiusque Dei societate separabimur, si nocentes inventi fuerimus. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Cristianæ argumenta fusius argumentum hoc pertractavit in Dominicali, Sermone octavo post Pentecosten.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde hauriri copia potest, ad propesita Concionum systemata pertractanda.

Sanctipatres.

SAnctus Augustinus, *lib. 2. de anima, & ejus origine cap.* 4. loquitur de particulari judicio: ac paucis.

Idem in titulum Psalmi 147. docet magis metuendum esse malum conscientiæ nostræ statum, quam Judicem, a quo sumus judicandi.

S. Gregorius, *lib. 4. Moral.* plures adfert rationes, propter quas Sancti judicium Dei timuerunt.

Idem, *lib. 9. Moral.* docet nunc singulos semetipsos judicare debere, & coram Deo sese statuere sua peccata plorantes, ne aliquando damnentur, cum ad ejus tribunal rapientur.

Idem, *lib. 23. Moral.* hoc ipsum tradit.

Idem, *Homil. 9. in Evang.* explicat parabolam Talentorum, & docet, illos, qui a Deo plura acceperint, majorem quoque, in Dei judicio reddendam esse rationem.

Idem, *Homil. 39. in Evang. & lib. 24. Moral. c. 17. & 18.* de particulari judicio verba facit.

Sanctus Bernardus, *in Cant. Sermone 23.*

Dionysius Carthusianus, *in Operibus Min. Tomo primo.*

Granatensis in Duce Peccatorum cap. 7.

Ascetici.

A Ponte in Duce cap. 6.

Idem in Meditationibus parte prima, Meditationem habet hujus argumenti in plura puncta divisam.

P. Novet Tomo 6. Meditationum, Recessu primo pro præparatione ad mortem, Meditatione secunda pro die decima, ostendit quam terribile sit hoc judicium propter decretoriam sententiam ibi ferendam.

P. Nepveu Tomo 1. Considerationum Christianarum, & in Exercitiis.

Bessus in libro peculiari de quatuor novissimis.

Hortus Pastorum, *lect. 28. artic.* 1. docet futurum particulare judicium, & quomodo instituendum.

Essais de Morale. Tomo 4.

Concionatores.

P. Delit gendes, *Feria 6. Dominic. 4. in Quadrages.* Sermonem habet de animæ statu in hora mortis.

P. Grizel in Adventu, cui titulus *Balthazar*, Serm. 14. & 15.

P. Bourdalove in Adventu primo de generali tantum judicio verba facit, sed concio hæc particulari etiam judicio æque convenit.

P. De la Rue Tomo 2. Sermonum sub nomine suo editorum peculiare habet hujus argumenti sermonem; qui in compendium redactus invenitur etiam in Specimine sermonum pro Dominicis Dominica 8. post Pentecosten.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Dominicali Dominica octava post Pentecosten hujus Argumenti Sermonem instituit.

P. le Jeune Sacerdos Oratorii Jesu argumentum hoc quatuor sermonibus pertractat: in primo ostendit, particulare judicium habendum esse, & quibus de criminibus ibi accusabimur; in altero de peccatis alienis, quæ nobis vitio vertentur, in tertio de excusationibus, quas afferent peccatores, & quæ nequaquam æquæ, bonæque fient; in quarto de reprobæ animæ damnatione.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum hujus Argumenti.

SI repente interroget, quis respondebit ei? Job 9.

Quantus sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Ibidem.

Opus hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis. Jobi 34.

Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam. Jobi 31.

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? Ibidem.

Non intres in judicium cum servo tuo. Psal. 142.

Ne projicias me a facie tua, Psal. 50.

Justitias judicabo. Psalm. 74.

Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. 142.

Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Ps. 49.

Tu reddes unicuique juxta opera sua. Ps. 61.

Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, Non requiret. Psalm. 9.

Signasti quasi in sacculo delicta mea. Jobi 14.

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me. Ps. 114.

Non proderunt divitiæ in die ultionis; justitia autem liberabit a morte. Prov. 11.

Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Jobi 9.

Pondus & statera judicia Domini sunt, & opera ejus omnes lapides sacculi. Prov. 16.

Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus ejus considerat. Prov. 5.

Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus. Prov. 21

Qui inspector est cordis, ipse intelligit, reddetque homini juxta opera sua. Prov. 24.

Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit. Eccli. 12.

In cogitationibus impii interrogatio erit, sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correctionem iniquitatum illius. Sap. 1.

Virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Sap. 1.

Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Eccl. 11.

In fine hominis denudatio operum illius. Ibid.

Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. Eccli. 39.

Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur. Eccli. 16.

Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est. Eccl. 7.

Reddam eis secundum opera eorum, & secundum facta manuum suarum. Jerem. 25.

Ipse revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est. Daniel. 2.

Non est personarum acceptor Deus. Act. 10.

Unumquemque juxta vias suas judicabo. Ezechiel. 33.

Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Matth. 24. & 25. & Marci 13.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16.

Scimus quoniam judicium Dei est secundum veritatem. Ad Rom. 2.

Qui

Qui reddet unicuique secundum opera sua. Ibid.

Unusquisque onus suum portabit. Ad Galat. 6.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Matth. 12.

Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum. 1. ad Cor. 4.

Si nosmetipsos dijudicaremus non utique judicaremur. Ibid. 11.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. Ad Hebr. 9.

Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Ad Hebr. 4.

Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Daniel. 5.

Veteris, Novique Testamenti Exempla.

Exemplum Balthasar.

NIhil video, quod æquiorem adstruere nobis possit ideam status peccatoris, cum ad Dei judicium vocatur, quam quod in Daniele Propheta legimus de impio Balthasar, cujus exitus infelix connotatus fuit tribus verbis, quæ idem Propheta interpretatus est. Dominus numeravit, appendit, separavit. Et *hæc est interpretatio sermonis. Numeravit Deus regnum tuum: appensus es in statera, & inventus es minus habens: divisum est regnum tuum.* Hæc tristis est, sed vera figura eorum, quæ in peccatoris accidunt morte: donec vivimus, peccatorum nostrorum numerum ignoramus, pondus eorum imminuimus eaque confundimus cum paucis operibus bonis, quæ facimus; sed in morte ostendit Dominus, se peccata nostra numeraste, virtutes nostras appendisse, & paleas a frumento separasse.

Daniel. 5.

Quæ esset Jobi de hoc judicio sententia.

En quid senserit S. Job de particulari judicio, deque ratione in eodem a nobis Deo reddenda. Si Deus, ajebat ille, modo me judicaturus descenderet, mihique omnem vitæ meæ rationem ob oculos poneret, quid illi responderem? *Si repente interroget; quis respondebit ei?* Æque potens, ac sapiens est, quis ergo poterit ad Tribunal ejus fidenter accedere? *Sapiens corde est, & fortis robore; quantus sum ego, ut respondeam ei?* Licet etiam me irreprehensibilem putarem, non ideo tamen periculi expertem me crederem; oculi enim tui mei non sunt, atque ibi maculas detegit, ubi nihil est, quod minime niteat: *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus?* Quid illi interroganti respondebo? *Et cum quæsierit quid respondebo illi?*

Job 9.

Ibidem.

Ibid. 31.

Sensus David in hac re.

David Rex, & Pater infelix de solio deturbatus a filio, & derelictus a populo se convertit ad Deum, eique ea exhibet angustias ad quas redactus est. Omnia me produnt, omnia meum quærunt interitum. Verum his rebus omnibus nequaquam, Domine, commovear, sanctus Rex ait; tu unice me terres, oculos tuos expavesco. Averte illos a peccatis meis, & sufficit mihi. Detonet in caput meum sæva procella, qua obruor; inter terrenas omnes calamitates constans ero, atque pacatus, dummodo hoc mihi policeri valeam te nequaquam subiturum esse cum me judicium; *scio enim, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Psalm. 142.

Nocentis animæ terror, cum prodituræ erit coram Deo expressus in metu Regis Esther cum ad Regem Assuerum accessit.

Quisnam exprimere posset metum, atque formidinem peccatorum, cum prodibunt coram læso Deo, cujus leges perfregerint? De hoc judicium ferre possumus ex terrore, quo repente perculsa fuit Esther Regina, cum Assuero se obtulit. Regina hæc, quæ in viri sui amore confidere poterat, videns faciem illius ira succensam, qua illam violaverat legem, qua mortalibus cujuscumque generis interdictum erat ad Regem solio insidentem suo, non vocatis, accedere: Infelix hæc, inquam, Regina iratum conspiciens Regem, cujus oculi iracundia suffusi malum aliquod portendebant subito pavore correpta defecit; quæ sese collegit, ubi a Rege benignius excepta, & promissionibus cumulata, audiit, legem, quam se putabat transgressam, pro ipsa non fuisse irrogatam. Quinam erit nocentis animæ terror, quæ sese offeret Deo, postquam toties, totque modis sacratissimas leges infregerit, & quæ adstabit ex illius ore damnationis suæ sententiam auditura?

Divitis parabolam villicum habentis insimulatum, quod herilia bona dissipasset, adeo perspicua est, atque ita naturaliter de particulari judicio explicatur, ut Dei Filius eam de industria concinnasse videatur, ut nobis explicaret severitatem, qua ille tandem a nobis rationem eorum omnium, quæ in vita fecerimus, exposcet. Et sane, quisnam statim non intelligit, Divitem hunc non alium esse quam ipsum Deum, cujus omnia sunt; at quis simul non videt, villicum istum non alium esse quam Christianum, qui a Deo recipit, non id solum quod habet in ordine naturæ, verum etiam id, quod possidet in ordine gratiæ; œconomum sæpe ingratum, & infidelem tot bona misere dissipantem, quibus præclare uti deberet: œconomum qui certo die ab æterno præstituto coram Tribunali Divinæ justitiæ vocabitur, ibi de bona, vel mala administratione sua rationem redditurus. Quemadmodum funesta illa erit mortis nostræ dies, & hæc ratio repetetur in particulari judicio, quod illam excipiet; peccator non solum apparere debebit coram Domino, cujus bona dissipavit, verum etiam rationem reddere de usu, in quem illa convertit: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Parabola œconomi qui apud hominem accusatus fuerat quasi dissipasset bona sua, & ex quo ratio administrationis petita fuit.

Luc. 16.

Nihil est, de quo sæpius, pluribusque modis in Evangelio nos Dominus admonuerit, quam de incertitudine adventus Filii Hominis homines judicaturi. 1. Usus est ille suis exemplo, qui ad suffurandum concubia nocte clam accedit, cum mortales omnes alto demersi sunt somno. Apostoli Sanctus Petrus, Sanctus Paulus, & Sanctus Joannes, qui hoc ex Magistro didicerant, illud & ipsi quoque fidelibus proponunt: *Adveniet dies Domini, ut fur*, Petrus inuit; Paulus vero hoc ipsum declarat, & ait, homines tunc perculsum iri velut mulierem partus doloribus laborantem, cum nondum puerperii tempus adesse arbitratur; Joannes tandem in Apocalypsi ad Sardicensem loquens Episcopum, Dei verbis dicit illi: *Veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam.*

Similitudines, & exempla quædam ex Evangelio desumpta.

2. Petr. c. 3. 1. ad Thes. 5.

Ut hujus periculi admoneremur, Salvator tres nobis in Sancto Matthæo reliquit parabolas. Prima est Patris cujusdam familias, qui rus se contulit, quin servis diceret, quo tempore esset reversurus, & qui reipsa hoc temporis reversus est, quo minus ab illis expectabatur, atque in eos animadvertit, quos officia sua minime obeuntes invenit. Altera est decem Viginum, quæ sese præparaturant, ut venienti sponso obviam procederent; quibus quid acciderit nemo unus ignorat. Tertia hominis est longum suscipientis iter, atque pecuniam domesticis suis distribuentis, ut eam in quæstum collocarent; qui domum reversus male multavit eum, qui creditum sibi talentum humi defoderat.

Parabolæ hoc ipsum significantes.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

REdde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. Christianus es, te fides docet, omnia, quæ habes bona a Deo tibi collata fuisse, ut rationem de illis redderes; te non alium esse nisi eorum œconomum, & conductorem. Accede, videamus nunc, in quem usum converteris bona, quæ fortunæ vocantur, bona naturæ, & bona gratiæ; paulisper hæc res ad examen revocanda est: accede, videamus: *Redde rationem villicationis tuæ?* Quid audio de te? Quomodo abusus es fortunæ bonis, quæ Deus in manibus tuis collocavit? Nonne illa dissipasti, ut tuas cupiditates expleres, & vitiis tuis materiam suppeditares? *Redde rationem*: Nonne abusus es omnibus animæ tuæ facultatibus, omnibusque corporis tui sensibus? Heus tu! intellectus a Deo creatus, ut de Deo cogitares, nonne in reliqua omnia evagatus est? Ex decies centenis millibus cogitationibus Christianus iste ne unam quidem fovit, quæ recta ad Deum referretur. Cor istud creatum ut amaret Deum, Auctorem bonorum omnium, vel odit, vel nullo habuit in discrimine: *Redde rationem.* Neque solum ratio repetetur oculorum sensuum, animæque facultatum, verum etiam vitæ Christianæ officiorum, bonorumque gratiæ, quæ quidem ratio magis terribilis erit. Heu tu, Christiane, quem ex fide, habitibus sanctis, supernaturalibusque donis fructum percepisti? Quomodo usus es Sacramentis? Horum omnium ex te ratio expetetur.

Deus rationem ex peccatore de omnibus ejusdem actionibus repetet.

Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? Job 31. *Et cum quæsierit, quid respondebo?* Numquid causabor infirmitatem meam? Eheu! Nonne res-

Peccatorum nullam invenit excusationem.

respondebit, se mihi gratiam contulisse, ut illi supplieret, vireſque adjiceret? Præiexam mundi conſuetudinem, & exempla? At nonne ſciebam, nonne millies per miniſtros ſuos ille mihi teſtatus fuerat, ſe illa damnare, & eum, qui ſequitur illa, jam eſſe judicatum? *Quid reſpondebo?* Talis erit peccatoris ſtatus adveniente judice. Ipſe ſui actor erit. Conſcientia ipſum redarguet, atque in memoriam revocabit quoties vim paſſa fuerit ab illo, dum ſeſe vitiis omnibus manciparet: *Quid faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus.* Quid faciam, & quid fiam? Hoc vobis jugiter dicendum, & cogitandum eſt, vobis, inquam, qui adeo pacatam vitam ducitis, & adeo tranquille omnibus fallacibus mundi gaudiis perfruimini.

Noſmet in anteceſſum hac in vita judicare debemus, ut judicium Dei prævertamus.

Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. ad Cor. cap. 11. Docet Apoſtolus fore ut nequaquam judicemur, ſi noſmet diligenti judicio exauſſeremus. Hoc autem judicio, quod in nos ferre debemus, prævertere poſſumus quidquid ſeveritatis erit in particulari judicio, & ideo in anteceſſum nobis ea facienda ſunt, quæ tunc faciet Deus, Judicem habebimus Deum illuminatum, qui omnia cognoſcet, Deum irritatum, qui omnia puniet; mutuentur nunc hujus illuminati judicis lumina, ut omnia peccata noſtra agnoſcamus; ac noſmet armemus jaculis iræ irritati hujus Dei, ut eadem peccata puniamus. Ad Tribunal Dei accedere volo, non tamquam reus judicandus, ſed tamquam nocens a ſeipſo judicatus, atque damnatus. O felix ſententia, hic Pater addit, quam modo contra noſipſos pronuntiamus, quia adeo formidabilis judicis ſeveritati nos ſubtrahit!

Deus perſpicaci cognitione ſecretiſſimas intentiones, & cogitationes ſcrutabitur.

Sermo Dei vivus, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. Ad Hebr. 4. Dei cognitio (namque ex veterum Patrum ſententia hoc ſignificat nomen illud *ſermo Dei*) Cognitio Dei, inquit Apoſtolus, viva eſt, & perſpicax, atque ancipiti gladio penetrabilior pertingit uſque ad diviſionem animæ, & ſpiritus; atque intentiones, & cogitationes diſcernit. Facile intelligitur S. Paulus hoc in loco ad corporis anatomen alludere, atque ſenſibili hac imagine velle nobis adſtruere idem ſpiritualis hujus diviſionis, quam in conſcientiis noſtris factura eſt Deus. Si enim hæc attentius conſideras; hic de ferro, & enſe loquitur: *Omni gladio ancipiti*; de compagibus, ac ſeparatione: *ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Quemadmodum autem cultro docta manus in qualibet corporis parte ita ita minimas etiam fibras novit ſejungere, ut ſingulæ valeant diſtingui: Deus infinitæ ſapientiæ ſuæ radiis, ut figurata Apoſtoli utar locutione, talem efficiet omnium facultatum animæ diſſectionem, ut leviſſimos etiam ejuſdem habitus proferat in apricum.

Noſmet ipſos in hac vita judicare debemus, & quomodo.

Spiritualis judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur. 1. ad Corinth. 2. Homo ſpiritualis judicat omnia, & judicatur a nemine. Judicabo, inquit S. Bernardus, bonum, & malum, quod in me eſt. In iis, quæ bene fecero, de me humilitatis tantum ſenſus concipiam, Me inutilem ſervum exiſtimabo, qui id tantum fecerit, quod ſibi faciendum erat. Scrutabor vias, & affectus meos, ut qui viſitare debet Jeruſalem in lucernis, nihil in me inveniat, quod ad examen non vocaverit: neque enim his judicabit in idipſum. Judicabo malum, quod feci, & lacrymis eluere conabor peccata mea, eaque ejunjis, omnibuſque chriſtianæ mortificationis laboribus expiare.

Plurima erant quibus in hoc judicio reſpondere non poterimus.

Vide in quantis te accuſant. Marci 15. In particulari hoc judicio nobis dici poterunt verba quæ dicebantur Filio Dei, cum ad Judicem raptus jam jam erat damnandus: *Vide in quantis te accuſant.* Nobis tunc ea dicebantur; Jeſus enim tunc referebat perſonam peccatoris, ejuſque ſpeciem gerebat; ſed nobis etiam dicentur, cum dæmones nos accuſabunt, atque prolixa enarratione ſcelera noſtra nobis objicient: *Vide in quantis te accuſant.* Quid his reponere potes, dicetur nobis; quid reſpondes tot factis, totque invictis argumentis, quæ proferuntur in te; verbo, tot criminibus, quæ tibi objiciuntur? Tu te expiare debes, & objecta diluere. Quid dices, quid reſpondebis, propriæ conſcientiæ tuæ teſtimonio convictus?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

VÆ etiam laudabili vitæ hominum, ſi ſemota miſericordia diſcutias eam. Auguſtinus in Confeſſ.

Stateram Dei non vides, omnis cogitatio tua in illam levatur. Idem, in Pſal. 85.

Puto quia magna ſit jam peccati pœna metum ac memoriam futuri abſciſſe judicii. Auguſtin. Serm. 120. de Temp.

Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi judex, & dic Deo tuo: Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco. Idem, in Pſal. 49.

Siqua præſentis vitæ lætitia eſt, ita agenda eſt, ut numquam amaritudo futuri judicii recedat a memoria. Hieron. ſup. Matth.

Vitari terror judicis non niſi ante judicium poteſt; modo non cernitur, ſed precibus placatur . . . . Cum vero in illo tremendo examine ſederit, & videri poteſt, & placari non poteſt; quia facta pravorum quæ diu ſuſtinuit tacitus, ſimul omnia reddet iratus. Greg. lib. 14. Moral. cap. 34.

Cum augentur dona, etiam rationes creſcunt donorum. Idem, Homil. 9. in Evang.

Actus noſtros ita præparemus, veluti reddituri imminenti judici rationem. Cyprian. in Symb. expoſit.

Beatus erit quiſquis non ſine memoria divini judicii omnia geſſerit. S. Hilar. in Pſal. 118.

Nihil eſt quod magis proficiat ad vitam honeſtam, quam ut credamus eum judicem futurum, quem occulta non fallunt, inſecora offendunt, & honeſta delectant. Ambr. in Offic.

Si credimus venturum judicem, innocentes judici nos præparemus; judicem negat eſſe, & judicandum ſe ſatis diffidit, qui male vivit. Chryſoſt. Serm. 59.

Si pro otioſo verbo periculum eſt, quanto magis pro criminoſo? Ambr. in Pſal. 38.

Pendet per ſingulos dies noſtrorum ſtatera meritorum, atque exiguis vel boni operis, vel degeneris flagitii momentis huc atque illuc ſæpe inclinatur. Idem, Epiſt. 44.

Satis delicate nobiſcum agitur, quando in poteſtate noſtra datur, qualiter judicemur. S. Eligius, Homil. 8.

Volo vultui iræ judicatus præſenturi, non judicandus: bonum judicium, quod me illi diſtricto divinoque judicio ſubducit, & abſcondit. Bernard. in Cant. Serm. 55.

Quid de peccatis erit, ſi injuſtitia inveniatur noſtra juſtitia? Idem, in feſto SS. Omnium.

Time ſcrutinium judicis, time illum qui per Prophetam dicit: Scrutabor Jeruſalem in lucernis. Idem, Serm. 55. in Cant.

Judicemur interim, Fratres, & terribilem illam expectationem ſtudeamus præſenti declinare judicio. Idem, in Pſal. Qui habitat.

Erit tunc non miſericordiæ, ſed judicii tempus, nec ulla omnino credenda erga impios futura illic miſeratio, ubi nulla ſperanda eſt corruptio. Ibidem.

Convincet ſine ulla temporis prolixitate conſcientias. Auguſt. lib. 20. de Civit. Dei.

Ille judex nec gratia præventitur, nec miſericordia jam flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec ſatisfactione mitigatur. Idem lib. 3. de Symbol. cap. 8.

Ipſe erit judex cauſæ tuæ. Idem lib. de decem chord. cap. 2.

In poteſtate noſtra poſuit Deus qualiter judicemur. Idem, Serm. 47. de Sanctis.

Quando Deus judex erit, alius teſtis, quam conſcientia tua non erit; inter judicem juſtum, & conſcientiam tuam, noli timere niſi cauſam tuam. Idem in Pſal. 37.

Animus ſibi male conſcius dum ſibi videtur nullam pœnam pati, credit quod non judicet Deus; & ſic auferuntur judicia Dei a facie ejus, cum hæc ipſa ſit magna damnatio. Idem, in Pſal. 10.

Cognoſcetur Dominus judicium faciens, qui nunc ignoratur miſericordiam quærens. Bernardus de 12. Grad.

Sæpe juſtitia noſtra ad examen divinæ juſtitiæ deducta; injuſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione judicis, quod in æſtimatione fulget operantis. Greg. lib. 5. Moral. cap. 6.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus ad hoc argumentum valeat hauriri.

Quid ſit particulare judicium, & in quo differat a generali.

JUdicium, quod particulare vocatur, ad illius diſtinctionem, quod de mortalibus omnibus in fine ſæculorum erit habendum, illud eſt, quod de ſingulis in ipſo vitæ hujus exitu habebitur; de quo plerique Doctores tradunt intelligenda eſſe hæc Pauli verba: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.* Quia judicium hoc ſtatim mortis momentum ſubſequitur, vel potius in ipſo mortis momento peragitur, atque in eodem agitur de ſingulorum beatitudine, vel infelicitate, ita ut nihil in generali judicio metuendum ſuperſit iis, qui ſemel in particulari fuerint abſoluti. Diſcrimen vero, quod inter utrumque intercedet, hoc eſt, quod in ſecundo univerſis manifeſtabitur quidquid abſolutum, vel damnatum fuerit in primo. Quod minime prohibet, Sanctus Chryſoſtomus ait, quominus vitæ noſtræ finis nobis ſit, quod ſæculorum conſummatio mortalibus omnibus, & primum hoc judicium plurimum habeat ſimilitudinis cum altero, quandoquidem in utroque omnes actiones noſtras ſingillatim diſtrictoque examine judicabuntur; & idem judex utrique præerit, & ſententia quæ ſemel vel ſalutaris, vel funeſta prolata fuerit, eadem erit, irrevocabilis, atque æterna.

Ad Heb. 9.

De fide eſt particulare judicium futurum.

Dubitare nefas eſt, utrum ſinguli in ipſo mortis exitu judicandi ſint, cum Florentina Synodus declaraverit eos, qui in mortali peccato moriuntur, eodem temporis momento præcipites in infernum deturbari, eos vero, qui in gratiæ ſtatu decedunt, ſed nondum prorſus Divinæ ſatiſfecerunt juſtitiæ, luſtralibus flammis addici, fidei articulus eſt, licet Patres quidam, atque inter cæteros Tertullianus, crediderint, neminem ſalvari, vel reprobari, niſi poſt reſurrectionem, atque vitæ, mortiſque ſententiam in extremo judicio proferendam.

Peccator hoc in judicio ſeipſum accuſabit.

Talis erit ſtatus peccatoris coram Judice ſuo prodeuntis; ille ſe ipſum arguet; conſcientia illius primus erit ejuſdem accuſator: illa in memoriam revocabit ſcelera omnia, quibus ſeſe mancipavit. Num culpa mea eſt, tunc illi dicet, ſi contra naturæ, atque Religionis leges, te pauperum egeſtatibus inhumanum præbuiſti? Culpa mea eſt ſi contra jus omne, & fas proximi tui exiſtimationem infelicem invidiæ, ultioniſque tuæ victimam effeciſti? Culpa mea eſt, ſi corpus hoc, cui tamdiu, ac tantopere blanditus es, cui nihil negaſti, in omnes libidines, ganeaſque traditum fuit, quæ eidem modo tot conſtant ſuppliciis? Nonne ſemper conatus es vocem meam ſuffocare, cum te redarguerem? Nonne te perſecutus ſum in ipſis etiam ludis, in ſocietatibus, in voluptuatiis cætibus, in comeſſationibus, atque ſpectaculis, funeſtiſſimis tuæ iniquitatis aſylis?

Dæmon erit accuſator noſter in hoc judicio.

Dæmon, quem Sanctus Joannes *fratrum accuſatorem*, appellat, in particulari judicio noſter erit accuſator. Hoc nomine in Apocalypſi vocatur, quia noctu, & interdiu illos coram Deo accuſare non ceſſat: ſed in extrema illa occaſione majori cum furore, ac ira deſæviet; accuſabit nos omnium ſcelerum, in quæ nos ipſe impulerit, atque levibus innixus ſuſpicionibus conficta etiam crimina objiciet; ſeu quod illius cognitio, ſecretas cordis intentiones minime aſſequetur, ſeu quod propter odium, atque nequitiam umbram pro ipſa rei veritate deſumet. Noſtra nunc intereſt, illi in corde aditum numquam aperire, ut cum in hoc judicium nos accuſaturus acceſſerit, nullum habeat crimen, quod vere nobis objiciat.

Diſtrictum examen eo in judicio de omnibus operibus noſtris habendum.

Præ cæteris vero hoc in judicio conſiderandum eſt diſtrictum illud examen, quod habiturus eſt judex de omnibus operibus noſtris, & in quo duæ conſiderandæ ſunt terribiles circumſtantiæ. Altera hoc in ſenſu illud univerſale futurum, ita ut nobis reddenda ſit ratio de iis omnibus, quæ fecerimus mala, quin inutiles cogitationes, otioſaque verba excipiantur, de iis omnibus, quæ bona facere neglexerimus, de tepore, quo uſi fuerimus cœleſtibus gratiis ſeu generalibus, ſeu particularibus, qualia ſunt Sacramenta, ſanctæ inſpirationes &c. & demum de minimis quoque defectibus, qui ſenſim in bona opera noſtra obrepſerint. Ideo per Prophetam dicit Dominus; *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*, ſevere eas etiam examinabo actiones, quæ ſanctiſſimæ, atque religioſiſſimæ videntur.

Pſalm. 74.

Addendum, quemadmodum redarguet Deus peccatores, de ſceleribus, quæ patraverunt, ita juſtis ea patefacturum bona, quæ fecerunt. Illis ob oculos ponet pios eorum ſermones, ſenſus, deſideria. In eorum memoriam revocabit opera ſancta, quæ ex eorum memoria exciderunt, vel quæ illis ambigua viſa ſunt. Cum gaudio magna intuebuntur merita, quæ plena divinæ voluntati obedientia, pœnitentia, precibus, jugibuſque mortificationibus adepti fuerunt.

Oſtendet Deus juſtis ea omnia, quæ fecerunt, bona

Deus huic judicio judex præerit.

Judex autem futurus eſt ipſe Deus, qui actioni huic præerit quin ſeſe oſtendat, ita tamen ut præſens & a bonis, & a malis ſentiatur, his quidem graviſſimum terrorem incutiens, eos vero pace, atque lætitia ineffabili replens. Cæterum cum ſit ſapientiſſimus, falli non poterit: cum ſit optimus nihil contra æquitatem poterit decernere; cum ſit omnipotens, nemo illius non parere poterit imperio; cum ſupremus ſit Judex, nullum erit tribunal, ad quod liceat provocare; omnia illius judicia erunt decretoria & irrevocabilia.

Cum homo rationis ſit particeps, rationem reddere debet Domino de actionibus ſuis.

Homo natus eſt rationis particeps, ideoque rationem reddere poteſt de actionibus ſuis: Non quæritur ex brutis animantibus ratio de motibus eorum, quia eorum nullam habent cognitionem; at homo rationem reddere poteſt de iis, quæ facit, & cogitat. Omnes judices ſunt omnium actionum ejus, quas noverunt; conſcientia intra illum aliud conſtituit pro ſecretiis motibus tribunal; Deus vero ſuper illius conſcientiam, & ſuper homines poſitus rationem expetit omnium actionum ſimul, & cogitationum, quia eas omnes cognoſcit. Æquumne eſſet, ut conſcientia, & proximus illud in nos haberent imperium, atque auctoritatem, eamque Deus, qui nos creavit, minime haberet?

Homo quatenus liber ſubjectus eſt judicio Dei.

Homo liber eſt, & bonum a malo ſecernere poteſt; quæ res illum potiori jure divino Tribunali ſubmittit. Non petitur ex pelago ratio tempeſtatum, quæ ibi deſæviunt, quoniam illas excitat ventus abnormis, & exlex. At in homine principium eſt cognitionis, & libertatis, per quas electionis ſuæ rationem reddere poteſt: Æquum eſt, ut eam reddat, ac culpam reddet, niſi Deo? Si homo ſui dominus, atque a nullo pendens natus eſt, eſt ille ſuimetipſius Judex; ſin autem in Cœlo ens adeſt infinitum, a quo motum vitamque accepit, & quod leges illi irrogavit, æquitas poſtulat, ut Enti huic actionum omnium ratio reddatur. Quid? Servus domino, Filius Patri, ſubditus Regi rationem reddere debebunt, creatura vero Creatori, homo Deo minime reddet?

Hæc naturalis eſt ſententia atque naturæ ipſius impreſſio nos aliquando eſſe judicandos.

Lex, pœna, & judex tria ſunt, quæ ſeparari non poſſunt. Deus legem tulit, ab illo, ac juſſis illius pœna proficiſcitur, opus eſt ergo, ipſum judicem eſſe. Denique homo natus eſt cum conſcientia futurum judicium metuente; at undenam iſti metus procedunt, niſi ex naturæ impreſſionibus, & ex hac idea in omnibus hominibus infuſa, judicium habendum eſſe, ubi ſinguli actionum ſuarum rationem erunt reddituri? Impii nequicquam contendunt has ideas ex ſpiritus imbecillitate proficiſci, & quo magis hic in dies perficitur, eo magis illas eſſe diſſipandas. Sed prima principia, quæ hos conſcientiæ motus efficiunt, generatim in populis omnibus inveniuntur, & hæ primæ impreſſiones ſemper juſtæ ſunt: inde erui quidem poſſunt remotiſſimæ, fallaceſque illationes, ſed horum principiorum veritas in dubium revocari non poteſt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Tempus, quo fit particulare judicium.

TEmpus, quo hoc fit particulare judicium, ipſum eſt mortis momentum; licet enim Deus peculiari juſtitiæ ſuæ diſpoſitione palam, inſigniſque

que animadversione damnare voluerit ante ipsam mortem scelestissimos quosdam peccatores, ut horum exemplum reliquos homines in officio contineret; non consuevit tamen quemquam judicare, nisi invisibili ratione, cum anima ex corpore egreditur; atque hoc momento lex omnis dirimitur: Judex audit actores, fert sententiam, eamque haud cunctanter exequitur. Hoc terribile momentum est, quod indesinenter mihi ob oculos versari debet, quia esse debet vel beatitudinis meæ, vel æternæ infelicitatis exordium. O fatale momentum, per quod ipsam ingredimur æternitatem! Tuine possumus obliviscì, quin pereundi subeamus discrimen; Possumusne tui reminisci, quin præ horrore fremamus; Cogitemus, fideles, momentum hoc, omniaque vitæ nostræ momenta ita bene impendamus, ut ne unius quidem jacturam faciamus; nullum enim est, quo vitam numquam desituram mereri non possumus. *P. a Ponte; Parte prima Meditationum de Fidei mysteriis.*

Anima sola in hoc judicium prodit rebus omnibus excita.

Anima, de qua judicium habendum est, sola in hoc prodit judicium, corpore suo denudata, ab omnibus visibilibus creaturis seposita, atque suis duntaxat operibus conitata. Etenim quamvis paulo antequam de corpore egrediatur, circum ægrotantem frequens adsit consanguineorum, affinium, amicorum, Religiosorumque corona; nemo tamen eorum sequitur illam, nemo illam in altera vita protegere potest, Regis anima nequaquam majori habetur in pretio, quam rustici; divitis, quam pauperis, docti, quam rudis; dignitates enim, & opes fluxa sunt bona; & scientia licet permaneat, altera in vita minime consideratur, ubi bonis tantum operibus merces defertur. *Idem.*

Deus in particulari judicio efficit ut peccatorum nostrorum gravitatem æquitis vere est, sentiamus.

Duplici, eoque gravissimo in errore versamur, qui quodammodo contra severitatem judicii de nobis ex hac egredientibus vita instituendi, nos modo confirmant, quod videlicet crimina quidem nostra minora, opera vero bona meliora pro reipsa, nobis videntur. Timeamus judicium Dei, qui omnes a nobis tenebras expellens, nobis obtrudet videnda peccata, quæ numquam agnovimus, atque fallaces virtutes, quas sinceras, solidasque existimavimus, dissipabit. Et sane qui nobis innocuus visus est Judex, tunc aculeata videbitur contumelia; quæ licita existimabatur necessitudo, noxius judicabitur amor; quæ honesta censebatur gloria, immodica agnoscetur ambitio; quæ rationabilis putabatur œconomia, sordida avaritia fuisse intelligetur; verbo, quod in oculis Dei culpa vacare creditum fuit, furoris, & ultionis ejus erit argumentum. *Abbas d. Monmorel, Sermone in Evangelium Dominicæ primæ Adventus.*

Offendet ille opera bona, in oculis Dei sordidissima, culpa non carere.

Si proprius amor, qui unice interiorem nobis pacem procurat, peccatorum nostrorum hinc quidem imminuit ideam, inde vero bonis operibus nostris illud tribuit pretium, quo mirum in modum in oculis nostris commendantur; hinc fit, quod ad eum terrorem dissipandum, qui requiem nostram perturbat, sufficit obiter tantum inspicere preces, jejunia, eleemosynas, quas facere consuevimus, & hic bonorum operum acervus habetur tamquam tutissimum vallum, quod divinæ justitiæ objiciatur. Sed heu! perspicacissimus Judex in precibus nostris intuebitur distractiones, propter quas fructu caruerunt; in eleemosynis prorsus ethnicam vanitatem dignoscet, in Sacramentis, quæ recipimus, sacrilegam deprehendet, prophanationem; in jejuniis cum epularum excessum, easque cupediarum delicias, quæ sensibus nostris magis, quam alia quælibet convivia blandiuntur, inveniet. Ita Deus, qui penitiores cordis recessus scrutabitur, nonnisi peccata loco afferrarum virtutum inveniens in nos convertet, quod erat spei nostræ argumentum, nosque iis rebus obrutos inveniemus, quæ juxta conceptas animo ideas præsidio nobis erant futuræ. Nihil mihi consilius sum; ajebat Apostolus, sed non ideo justificatus sum; qui enim judicat me, Dominus est. *Idem.*

Ratio ex peccatore petetur gratiarum, quibus ejus usus fuit.

Peccator Judici rationem reddere debebit de usu gratiarum, quas divina ipsi contulit misericordia. Neque solum generalium gratiarum rationem reposcet, sed particularium etiam, quas unicuique nostrum contulit; æruminarum omnium, quibus vita nostra agitatur, afflictionum, ægritudinum, quæ eveniunt, periculorum, contumeliarum, persecutionum, quæ nobis datæ fuerunt, tamquam salutis subsidia, ratio erit reddenda. Bona valetudo, mentis acumen, scientia, prona ad virtutem indoles, tot sunt talenta, quæ ipso nobis distribuit, & quæ quomodo a nobis in quæstu posita fuerint, reposcet: *Redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16. At nondum satis, non solum ratio reddenda erit de gratiis acceptis, verum etiam de peccatis, quæ alii patraverint; quidam propter se non damnabitur, qui propter alios damnabitur. Parentes rationem reddituri estis non de vobis, sed de filiis vestris: domini, & superiores pro domesticis vestris, & iis, qui curæ vestræ crediti fuerunt rationem reddetis. Neque solum de gratiis, & vitiis, verum etiam de ipsis piis operibus ratio erit reddenda. In hoc facile nosmetipsos fallimus; parum ad virtutem corrumpendam, & omne illius meritum auferendum requiritur, sufficit cupere, quod videamur viri boni coram hominibus, ut tales coram Deo esse cessemus, solum sufficit desiderium placendi moribus, ut Deo displiceamus. *P. Massillon Sermone de Extremo Judicio.*

Animam a corpore egredientem omnia deflituunt.

Quid dices infelix terribili hoc momento: quid dices, cum oculos aperire cogeris, quos ad illud usque tempus clausos tenueris, atque licet invitus leges damnationis tuæ sententiam, cui Deus manu propria subscripsit? Quam afferes excusationem? Quibus patronis uteris apud inexorabilem Judicem? Ubi amicum invenies, qui tibi ferat solatium? Cogita, eheu! sæpe cogita funestum Regis Balthasaris exemplum, & ex infortunato hoc Rege scrutare, quid illi profuit ea Satraparum copia, quos regio excipiebat convivio; quodnam hausit solatium ex tot mulieribus atque pellicibus, quas alebat; quodnam sibi præstitere subsidium aurea, argenteaque vasa, exquisitissimæ dapes, delicatissima vina; quid ipsi profuere omnium Babylonis sapientum domi suæ convocatorum consilia. Omnia illum in necessitate deseruerunt, & quæ antea fuerat ipsi deliciarum, & superbiæ materia, facta deinceps est sollicitudinis, suique tormenti argumentum. *P. A Ponte in Duce spirituali c. 6. §. 6.*

Tumultus, & timor peccatoris ad Dei tribunal procedentis. Sophon. 1.

Maturato incipiamus meditari, quæ in morte eventura sunt; cogitemus laborem, quo torquebimur cum Deus plures incendet lucernas, ut in ipsis etiam conscientiæ nostræ recessibus videat, quidquid ibi delitescit; ut nosmet ibi videamus quales sumus, atque ut tandem nobis & cordis nostri corruptionem, & judiciorum suorum æquitatem ostendat. Quam metuendum est ne tunc laboribus, terroribus, sollicitudinibus, minus ipsa morte ferendis excruciemur! Peccator jamjam coram suo Judice proditurus solus scit, quid sibi terribili eo momento sit perferendum. Attamen eorum quæ in anima fiunt, signa veluti quædam in ipsis etiam corporis motibus deprehenduntur. Balthasar, e nonnullorum Doctorum sententia, solus vidit manum in pariete scribentem suæ mortis sententiam; at qui prope aderant, ex faciei pallore, ex totius corporis tremore, insignibusque clamoribus, in quos erumpebat, ipsum aliquid terribile conspexisse judicarunt. Hoc ipsum ferme plurimis peccatoribus accidit. Illi profecto soli vident Deum contra se ipsos scribentem amaritudines; sed ex violentis corporis convulsionibus apparet, quinam sit animæ tumultus, ex judicii, ac proximæ suæ damnationis intuitu. *Idem.*

Scribit contra mea amaritudines. Job 13.

Præcipuus accusator nostra erit conscientia, sola sexcentis testibus æquivalens. Illa de nostris conqueretur infidelitatibus. Cogitationes nostræ, inquit Apostolus, nosmet acculabunt, vel defendent. Quemadmodum ad pœnitentiæ tribunal quilibet tamquam reus accedit, ac fingitur accusatoris, ac testis in se ipsum officio, ut voluntaria accusatione criminum suorum veniam mereatur; ita dici potest in judicio iisdem esse perfunctures officiis; atque id compellendum esse non ut absolvatur, sed ut damnetur tamquam plurimorum scelerum reus, quæ confiteri neglexerit. *Idem in Meditationibus de Mysteriis fidei.*

Conscientia nostra testis erit contra nos in hoc judicio.

Quamvis etiam me omni culpa vacare putarem, ac scirem conscientiam meam nive candidiorem esse, manusque meas mundas, ac puras; prob Deus! non ideo me periculo immunem existimarem, quippe oculi tui non sunt similes meis; ibi maculas detegis, ubi omnia nitescere mihi videntur; nihil nisi nubes, & caliginem vides, ubi omnia micare puto; & vestimenta mea, exteriores videlicet actiones meæ, licet decoræ videantur, coram

Judex tum hoc nobis semper est metuendum quamvis ipsis nobis noxa immunes videamur. Job 9.

coram te nihilominus sordent, atque vilescunt. *Pater Giroust. In Adventu; Sermone de extremo Judicio.*

Quomodo Deus aperiet quidquid abditi erit.

Deus infinitæ sapientiæ suæ radiis, ut figurata Apostoli utar locutione, ita omnes animæ facultates dissecabit, ut in lucem infirmissimos etiam habitus proferat: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Ibi luminis tui telum sapplicans, aperiet artes spiritus duplicis, dissimulati, atque mendacis, tot simulationes, pravas adinventiones, nequitias. Ibi intuitu aperiens corruptum, depravatumque cor, quæ nefaria deteget mysteria, quas imagines, impuras cogitationes, improbos dolos! Quam invidiam! quod odium inveteratum! quam inanem superbiam! quæ ambitiosa consilia! quem mundi, & bonorum ejus amorem! Nihil erit adeo secretum, quod non agnoscatur; & in apricum proferatur: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Ecce, Deus inquiet, inimicitiam illam adeo pertinacem, & quæ alte adeo radices jecerat, ut nulla umquam re convelli potuerit, & quæ causa fuit tot secretarum ultionum, ac tot secessionum, in quibus scandala non defuere. Ecce prophanum amorem illum, qui impudicum hunc hominem tandiu possedit; hæc cæca, & carnalia desideria, quibus se mancipavit, & quæ tot annos secutus est: brutales has voluptates, quibus in ipso ætatis flore sese penitus abdidit, & ex quibus in extrema senectute non potuit emergere: *Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti.* Ecce linguam hanc felle, & amaritudine plenam, linguam veneno imbutam! quas obtrectationes, quas calumnias! quæ obscœna verba modo palam prolata, modo nefariorum æquivocorum involucro comprehensa! *Idem.*

2. Pet. c. 2.

Peccator confusus nullam afferre potest excusationem.

Quo in statu tunc eris, Auditor? Quam excusationem proferes, quam causam prætexes? Nulla erit pro te, quippe Dei judicium erit omnium prætextuum tuorum annihilatio, omnia enim ibi sine ulla dissimulatione, & qualia reipsa erunt apparebunt. Quid dices, quid facies, cum te Dei lumine correptum videbis, ac ille ob oculos totum vitæ tuæ cursum veluti in tabula quadam depictum proponet? Ecce omnes sensus tuos, omnia verba, omnes actiones, quidquid cogitasti, quidquid dixisti, quidquid operatus es. Cætera modo pro te transierunt, hæc mundi gloria, hæ fallaces voluptates, hæc fluxa, fragiliaque bona interierunt: at tot peccata, quæ propter illa patrasti, non interibunt. *Idem.*

Deus rerum omnium, minimarum etiam rationem reposcet.

In humana justitia quædam tantummodo quæruntur scelera, quæ societatem perturbant, rectumque ordinem invertunt, cætera pœna carent. Sed ad Tribunal Dei rerum omnium, unius etiam voculæ rationem reddam. Quid est verbum, & sæpe etiam verbum, quod ideo solum malum est, quod otiosum? Attamen hoc verbum, Dei Filius ait, non negligetur, ac ejusdem ratio petetur. Quid ergo futurum existimandum est de fœnore, simonia, furore, impudicitia, impietate? Nunc tempus est misericordiæ, tunc vero tempus erit justitiæ. Quemadmodum autem in vita, donec regnat misericordia, nullum adeo enorme peccatum est, cui dimittendo Deus præsto non sit; post mortem, ubi semel justitiæ tempus advenerit, nulla adeo levis erit noxa, ex qua congruam ultionem non expetat. *Idem P. Giroust.*

Ejusdem argumenti continuatio.

Cum inter peccata Dei sententia damnaverit, quidquid in illis capitale est, atque mortale; numquid satis erit? Vellem equidem, auditor, iterum, iterumque monendo hanc animo tuo cogitationem eoque imprimere, ut nulla umquam re posset deleri. Tot aliis transgressionibus minoris momenti non parcet. Tot negligentiæ, quæ a Deo communes sunt, atque frequentes totidem erunt damnationis causæ. Hominum nequitia fons est inexhaustus, & inexhausti quoque sunt divinæ justitiæ thesauri . . . Hac in re una tantum adhiberi potest præcautio; ut videlicet modo nosmetipsos diligenti excutiamus examine, ad Dei examen effugiendum, ut nosmetipsos judicemus; ut ad pœnitentiæ tribunal ea fateamur, quæ metuimus ne particularis judicii die nobis a Deo exprobrentur; ut ad pedes Ministrorum Jesu Christi nosmet abjiciamus; & fine ulla dissimulatione, ac verecundia loquamur, vel si quis pudor occurrit, illum ad breve tempus coram homine patiamur ad confusionem longe majorem coram Deo evitandam. Non alia nobis superest spes; at spes hæc est certissima. *Idem.*

Ratio, & fides accusabunt, atque damnabunt peccatorem in judicio Dei.

Ad hominem regendum ratio illi tradita fuit; hæc æternæ sapientiæ particula, per quam Deo similes sumus. Verum sæpe accidit, ut corrupta natura omnibus rationis luminibus prævaleat. Quod si tunc ratio ad nos regendos minime prodest, prodest tamen, ut funesta pœnitentia nosmetipsos accuset, & judicet; & hoc primum est testimonium, quod a conscientia sua in particulari judicio peccatori metuendum erit. Attamen quemadmodum ratio naturalis satis non erat, ut nos in via justitiæ, salutisque deduceret, Deus illi, ut ita dicam, sociam addit fidem, quæ animaret, atque simul regeret divinis cognitionibus suis omnes actiones nostras, easque ad superiorem, atque supernaturalem ordinem elevaret. Sed quantum fides justificationi nostræ conferre deberet per bona opera, quorum esse debet principium, tantum nostræ conferet damnationi, si fuerit fides languida, & mortua, qualis fides est peccatorum; & hoc alterum est testimonium, quod contra nos proferet conscientia; utrumque æque sensibile, & invictum. *Idem.*

Quam validum erit in nos conscientiæ testimonia in eo judicio.

Tunc auferetur velum, & phantasmata omnia evanescent, tunc extinctus affectus propter longinquitatem objectorum, quæ illum inflammaverant, relinquet animæ facultatem agendi impositorum per se ipsam, atque detegendi veritatem; tunc, inquam, ratio sua reperet jura, loquetur, & audietur; reparabit diuturnum, quod sibi impositum fuerat, silentium, & peccatori licet invito ostendet ea, quæ noluit videre, cum adhuc tempus erat videndi, & hic visus illi utilis esse poterat. Quam valida erit in vos, o Fideles, hæc accusatio! quam potens erit! Quis pro vobis perorare audebit; si vos ipsi contra vosmet loqui cogemini? quis vos defendere poterit, si vos ipsi vosmet primi damnabitis? . . . Annuntio vobis futurum aliquando tempus, quo conscientia vobis ob oculos totum vitæ vestræ cursum objiciet: *latissimum, & confusissimam*, ut S. Eucherii verbis utar, totius vitæ *historiam*, quo vos ipsi ex vobis rationem repetetis vitæ vestræ, & quem in usum rationem vestram imponderitis.

Fides æque ac ratio peccatorem in hoc judicio accusabunt.

Non necesse erit Deum loqui; fides æque ac ratio satis aperte loquentur; & peccator non amplius solum qustenus homo, verum etiam quatenus fidelis contra se proferet sententiam; cum animæ suæ statum aperiens ibi duo adeo inter se pugnantia reperiet, qualia sunt, fides prorsus sancta, & vita prorsus flagitiosa. Quid credidi? Quid feci? Eramne Christianus? An minime eram? Si judicium ferendum est ex iis cognitionibus, quibus imbutus eram, Christianus; sin autem vitæ meæ ratio spectetur, nequaquam eram. Mundanus eram, usurpator, avarus, ambitiosus, impudicus, ganeo, exlex, improbus, impudens. Hæc omnia eram, ac Christianus non eram. Verum quid dico! heu! equidem eram. Peccatoris titulus mihi nequaquam abstulerat sanctum illum caracterem, quem in Baptismo receperam. Reprobi qualitas non efficit, ut ne nunc quidem illud abjiciam. *Idem P. Giroust.*

Quædam peccata nunc nobis ignota, sunt, & in particulare tantti judicio agnoscentur.

Sexcenta sunt peccata, quæ nos modo fallunt; vel quia tempus illa ex memoria nostra delevit, vel quia perniciosa illusio eorum malitiam nobis abscondit. Sed in judicio, ubi conscientia (conscientia hæc adeo perspicax, & incorruptibilis, ubi eam loqui, & agere finimus) sese libere explicare poterit, omnia in mentem revocabit, omnia deteget, omnia dicet. Quod anni quodam modo oblivione obruerunt, illa excitabit. Quod mundus decora specie palliaverit, hujus illa turpitudinem deteget. Quod fallaces corruptæ naturæ simulationes probaverint, illa reprobabit. Quod Confessariorum indulgentia, usus sæculi, impedimentum, ac turba negotiorum, & mens corde decepta imminuerit, vel procul a conspectu semoverit, ne videatur; illa restituet, aperiet, atque ita ostendet, ut singula etiam puncta palam appareant. Hæc dubia adeo facile, ac benigne soluta, ipsa quoque vicissim resolvet, sed juxta regulas prorsus oppositas illis, quas ipsa sibi antea propofuerat. Scrupulos validis innixos argumentis, sed quamprimum suffocatos, resuscitabit, efficietque, ut omnes eorum sentiantur aculei. Ipsa erit testis maxime perspicax, & sciens, quemadmodum erit Judex magis severus, & inexorabilis. *Idem.*

Conscientia negare non poterit facta, quæ sibi objicientur.

Cum in humana justitia reus videt sibi severam quæstionem subeundam esse, statim illum formido percellit, atque tormentorum horror efficit, ut in antecessum millies illa patiatur. Attamen quia vel pereundum illi est, vel saluti suæ prospiciendum, amor vitæ facit, ut sese colligat, eamque constantiam induat, quam sævissimi cruciatus labefactare non possunt. Frustra sexcentis modis torquetur, laniatur, aduritur; semper loquendi, tacendique arbitrium penes eumdem est; & plurimi hac arte extremum vitarunt supplicium, quod illis intentatum erat, & quod merebantur. Verum Dei ordo, facti evidentia, conscientiæ stimuli, odium, quo peccator se ipsum persequetur, furor, desperatio, omniam illi sinceram iniquitatum ejus confessionem extorquebunt. *Idem.*

Funesta objecta, quæ sese offerunt animæ ex corpore egredienti.

Quam tristia objecta catervatim sese offerunt menti ad divini tribunalis conspectum, coram quo omnibus est prodeundum accedenti! Quam horribilis novitas nosmet eo in statu videre, in quo numquam antea fuerimus! Quam terribilis solitudo, ubi unus tantummodo Deus invenitur! & quam inevitabilis necessitas inter nos solos Deumque solum agendi? Potestisne, Fideles, justam concipere ideam, animoque comprehendere quid hoc sibi velit Deus solus, & anima sola? Consideratisne quod centies dixistis: Prodeundum erit coram Deo, Deo respondendum erit . . . Anima hoc momento a rebus omnibus separata est, & extra omnia; extra corporis sui carcerem, extra visibilem hunc mundum, extra temporis limites, extra sæculi sodalitates; fingine potest hac tristior solitudo? *In Collectione sermonum editorum sub nomine P. de la Rue. Tomo 2. Sermone pro feria sexta hebdomadæ quartæ in Quadragesima.*

Quinam sit sensus animæ separatæ a corpore, & considerantis corpus suum in sepulcro.

Quinam erit animæ tumultus ad tristem corporis intuitum, quod olim tamquam idolum fuerat venerata! quid illi prodest tantum olim insumpsisse temporis, ut blandiretur huic corpori, cui se mancipavit! Jacet humi; hoccine tot sumptus merebatur? Hoc inquam corpus, cujus felicitatem in eo constituerat, si a mortalibus respiceretur, & haberetur in pretio. Quinam erit animæ tumultus, iterum dico, videntis hoc triste objectum aliis odiosum, ab aliis contemptum, omnibus horribile, & non ferendum! Quid proderunt animæ honores, quibus illi parentabitur, quid elogia, quibus in funebri pompa laudabitur, ubi insanissima assentatione minus dicetur id, quod fuit, quam quod esse debebat. Mortuus laudatur, illius desiderium excitatur; oh quot curæ misere pereuntes! *Idem.*

In mortis momento homo ab omnibus separatur, & omnia pro illo pereunt.

Huic secessioni addamus alteram, quæ a mundo separatio dicenda est. Ex quo moritur homo, experitur in se ea omnia adimpleri prodigia, quæ in sæculorum fine eventura sunt, & quorum Spiritus Sanctus in Evangelio ad vivum imaginem exhibet; solis obscuritatem, lunæ pallorem, elementorum confusionem, mundi totius interitum. *Sol obscuralitur, luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de Cœlo.* Hæc omnia prodigia suos habent effectus in singulis hominibus, ubi animam exhalant; ex eo tempore Sol illis non lucet, sydera illis non micant; omnia cadunt, omnia dissipantur, omnia illis annihilantur; mundus coram illis evanescit quasi non esset amplius, & numquam antea fuerit. Ibi anima defertum invenit, desolatam regionem, *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*, ut loquitur Job. In terribili hac nocte omnes homines horribili trepidatione consternuntur . . . Ita vanæ inter homines peribunt distinctiones, &c. *Idem.*

Matth. 24.

Job 10.

In hoc judicio gravissimorum quoque peccatorum ratio reddetur.

Isthic ac tantum recensemus peccata, quæ gravia sunt, quæ æternam afferunt damnationem; quæ vero sunt levia, flocci putamus facienda. Deum, cum magnus sit, in nugis hærere minime nolle existimamus, eumque infirmitatis nostræ misertorum credimus; dummodo in rebus magnis illi fideles fuerimus, citra periculum in minimis deficere posse, atque officianter agere arbitramur. Sed tunc de quolibet etiam otiose prolato verbo rationem reddemus; nunc præcipuis tantummodo inhæremus officiis, cætera vero tamquam cogitatione nostra indigna cenientur: at non ita erit in particulari judicio, ubi uni Deo respondere debebimus. Tunc nobis repræsentabit, quod olim dixit, inutilis etiam verbi reddendam esse rationem; Deum primi præcepti sui, quod nullius momenti videbatur, prævaricationem vertisse in causam damnationis totius generis humani, & ea, quæ ad tantum Dominum ullo modo referuntur; non esse spernenda. *Idem.*

Ratio redditur de peccatis omissionis.

Omissionis peccata modo ne considerantur quidem; quasi Dei Filius nequaquam dixerit, omnem arborem, quæ fructum non afferet, convellendam esse, & in ignem mittendam; quasi tepiditas, & negligentia non essent peccata; quasi tuto vivere possemus eo, in quo statu sumus, quin omnibus ejusdem officiis perfungeremur. Nobilitas innocens putatur, cum nulla vitia exerceat; opes bene partæ creduntur, cum citra apertissimam injustitiam congestæ sunt; licitæ existimantur voluptates, cum nondum pudori fræna laxata sunt, denique in hoc perfectio statuitur, si nihil mali fiat, & se sanctum arbitratur, qui gravissimis sceleribus obnoxius non est. Attamen virtutes omissæ peccatis accensebuntur . . . Vulgo personalium tantummodo peccatorum rationem habes quin aliena censeas, & ea, quibus vel per ignaviam, vel per scandala occasionem præbuisti. Atrocissimam illam obtrectationem compescere poteras, & eam tolerasti. Peccatores illos, qui fortasse ex correctione tua sese collegissent, corripere poteras, & neglexisti. *Numera.* At nondum satis; quin proximum tuum ædificares, illi fuisti lapis offensionis, & petra scandali. Peccator ille flagitiosa tua vita, tamquam occasione, & prætextu usus est, ut suam probaret; tu nocens, &c. *Numera. Idem.*

Multitudo peccatorum de quibus ratio erit reddenda.

Cum peccata in habitum transierunt, putas te jure eadem numerare non posse. Post viginti, triginta, & quadraginta annos, quibus inter flagitia volutaris, ita illis consuevisti, ut ne animum quidem illis advertas; quæ juramenta! quæ mendacia! quæ obtrectationes! quæ impudicitiæ! *Numera*; hæc enim omnia in ultionum thesauro asservantur. Ingens eorum jam crevit acervus, & multiplicatæ sunt iniquitates tuæ super capillos capitis tui. Easne ides coram te in ordinem digestas? Omnia numerata sunt, omnia in luce sua sunt. *Idem.*

Non proderunt bona opera tot malis, vel defectibus mixta.

Neque confidere potes in nonnullis operibus bonis, si quæ fortasse fecisti; dicet enim Deus: *Divide*. Exploremus asseritas hasce virtutes, secernamus ea, quæ laude ab iis, quæ probro sunt digna: *Divide*. Quænam eorum fuere principia? quæ causa? Nonne libido, necessitas, occasio, vanitas, hypocrisis, utilitas? Nonne ut laudes, ac reverentiam tibi conciliares? ut tutius, & callidius rebus tuis prospiceres? Numquid virtus est bonum esse, quia fert imo genium zelo succensum, quia furor suadet; humilem, quia vult ignavia; temperantem, quia hoc hortatur avaritia; mundi osorem, quia ejusdem te pertæsum est; patientem, quia imbecillitas cogit? Ubi hæc divisa fuerint, quid de bonis operibus tuis fiet? *Idem.*

Quot defectus in bonis operibus inveniemur.

Quasi pannus mensfruatæ universæ justitiæ nostræ. Isaiæ 64. Quot ex bonis operibus, quibus tantopere confidimus, imperfecta sunt, atque defectibus scatent? Quot enim in precibus distractiones, quot in sacrificiis irreverentiæ, quæ in Sacramentorum usu tepiditas, quinam abusus verbi Dei in sermonibus illis, quibus vel per oblectationem, vel per curiositatem aures adhibentur, quæ vanitas in jejuniis, qui fastus in eleemosynis, quinam amor sui in operibus charitatis, quæ in pietate singularitas! Ita æque & ob omissa, & ob commissa, correptus conscientiam suam commaculatam videbit & iis, quæ minime fecerit, & iis quæ fecerit. *Pater Aurelianensis, Sermone de Judicio.*

De plurimis accusabimur peccatis, quæ modo nos latent.

Nequaquam existimare debemus nos culpa vacare, atque irreprehensibiles esse, cum de re nulla reprehendimur. Quidam in hominum oculis est innocens, qui si ferio seipsum excusserit, plurimos in se agnoscet defectus, quos alii minime viderint: quem vero voluntarii errores quibus imbutus erroneam sibi confixit conscientiam, prohibent, ne in se ea agnoscat peccata, quæ in ipso nihilominus sunt, hic cogitare debet, Deum, quem nihil fallit, & qui secundum immutabilis veritatis principia judicat, se hujusmodi mendacii illusionibus nequaquam capi passurum. Omnes erronearum conscientiarum sinus scrutatus quot ille ibi inveniet peccata, quibus plurimi se immunes crediderant? Peccata ignorantiæ, peccata affectionis, peccata omissionis, peccata aliena, peccata, quæ illi bonis operibus suis adnumeraverant. Qui mundas ab aliorum bonis se manus habere arbitratur, inveniet fœnora: talia quidem hæc esse non crediderat; sed ambigendi occasio non defuerat; cumque non satis luminum haberet, ut per se illa dignosceret, de iisdem erudiri neglexit. Hæc est ignorantia, sed ignorantia, quæ a peccato minime excusat, eamque in suis peccatis inveniet. Mulier illa, quæ ob pudorem, virtutemque suam sibi plaudit, inveniet illa servitutis officia, quæ tanto ab hinc tempore viro illi permittit, qui non displicet eidem, & cui placere non refugit . . . Passio efficit, ut modo hæc omnia tamquam culpæ suspiciobe carentia putet, vel saltem leves censeat defectus hos cum sceleribus eorum conferens, quorum vita impurissima est, omnibusque flagitiis abdita; sed tunc, cum passio illi deferbuerit, eique permiserit intueri hanc vivendi rationem perfectæ virtuti oppositam, cumque Deus illam ipsi, qualis vere est, ostenderit, intelliget, sed nimis sero, ad hoc ut scelus adsit, satis esse si cor innocens minime fuerit. *Idem.*

Deus in hoc Judicio, non solum nostra nobis ostendet peccata, sed omnem etiam eorum nequitiam.

Deus non solum nobis omnia peccata nostra ostendet, sed omnem etiam nequitiam eorum, omnesque pravos effectus, qui eadem subsecuti fuerunt, aperiet. Hoc autem ille perficiet per quamdam anatomem, & humani cordis dissectionem anciptiti gladio verbi, ut S. Pauli utar locutione, cordis ipsius fibras penetrantis. In anatome tria fiunt; interiores partes deteguntur, ab iis, quæ circumstant separantur, & illæ, a quibus pendent ostenduntur. Ita Deus in cordium examine secretissima deteget peccata. Separabit ab actionibus nostris inanes prætextus, quibus cooperiuntur, inanes excusationes, quibus colorantur, speciosa nomina, quibus dissimulantur, externas species, quibus involvuntur, ut liqueat usuram fuisse, quod consuetudinis nomine, & tamquam commercii necessitas excusabatur; ut innotescat simoniam fuisse, quod gratitudo appellabatur; & impudicitiam quod innocens necessitudo vocabatur. Denique omnia objice mala, ex quibusdam peccatis profecta, vel ut melius dicam, in his peccatis ostendet funestas plurimorum, eorumque irreparabilium malorum origines . . . Ad hunc adspectum quomodo exprobrabuntur hæ humani generis pestes, quæ bella succendunt, discordias excitant, populos diripiunt, familias perturbant, opprimunt pauperes, obruunt infirmos, omnia favori deferunt, & legibus, ac justitiæ nullam vim nisi contra calamitosos relinquunt? *Idem.*

In ipso mortis momento videbimus Deum tamquam Judicem nostrum.

Terræ judices, qui etiam durissimi, atque severissimi habentur, nos supplices audiunt antequam velut nocentes judicent; illorum voci, ac faciei assuescimus, antequam eorum sententias audiamus, at statim ac Deum videbimus, illum tamquam rei, æternæ mortis sententiam subituri, si rei fuerimus, intuebimur. O terribilem adspectum! O Domine, egressus sum ex manibus tuis, quin cognoscerem te; primos ætatis meæ annos transegi, quin rationis defectum viderem, me tibi vitam debere! Cum vero per rationis usum, & fidem agnovi te, tibi non parui, neque eam tibi detuli gloriam, quam jure expectabas a me; vitam duxi tamquam Ethnicus, & idololatra, quæ nunc mea fors erit in omnem æternitatem. *Pater de la Rue Sermone de particulari judicio.*

Hoc in judicio detegit Deus quid quid mali fecerimus.

Lumen ex Judicis vultu refulgens efficiet, ut momento omnes iniquitates nostras intueamur; videbimus peccata, quæ in pueritia, adolescentia, provectiori ætate, ac senectute ipsa patraximus, ubi, ut plurimum peccatum nos potius relinquit, quam nos peccatum relinquamus. Videbimus bona, quæ ob nefarias causas fecerimus, abusus Sacramentorum, irreverentias in Templis, atque eorum dierum prophanationem, qui divino cultui dicati fuerunt. Videbimus bonum, quod operari poteramus, & operati non fuimus, tot temporis jacturas, tot neglectas inspirationes, tot insanos sumptus in aleis, conviviis, luxu, voluptatibus, cum interim ferrea nobis erga pauperes essent præcordia. Videbimus malum, quod prohibere poteramus, & a quo avertimus. O Deus! qui tanta justitia scrutaris, atque cognoscis quidquid in cordis nostri latebris accidit, si mihi judex eligendus esset in meæ æternitatis negotio, non alium eligerem præter te; mihi enim persuasum est, mea te amari, tibique nihil antiquius esse, quam salutem meam. Attamen quem in me timorem ciere debet hic amor, hæc patientia, qua tandiu me toleras? Heu! Quid faciam cum ad me judicandum accedes. *Quid faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? Pater Paulus Segneri, in libro cui titulus: Vera Sapientia.*

Job 31.

Judicium hoc longe morte ipsa terribilius est, tunc enim anima sola coram Deo prodibit rationem redditura de actionibus suis, atque eam subitura sententiam, a qua ejusdem universa pendet æternitas. Si quis hujus judicii veritatem negaret, hic sane scripturas nequaquam legisse dicendus esset, sed præterea ad propriam conscientiam consulendam remittendus. Si enim Deum agnoscit; quomodo judicium negat? Fingi ne potest divinitatis idea, quæ justa non sit, quæ peccatum non puniat, quæ postquam homines efformaverit, eos sinat pro libidine contra suas leges, & auctoritatem, & contra gloriam suam operari, quin ullam ex ipsis factorum rationem deposcat? Hæc idea Dei justi, ac ultoris scelerum justis solatio est contra obtrectationes, fictas criminationes, atque calumnias. At hæc eadem idea terrorem incutere debet peccatoribus in secretissimis etiam ipsorum criminibus, illis intentans judicem, qui neque evitari, neque falli, neque corrumpi potest tunc etiam cum hominum testimonio probantur, quinque os subleviße per hypocrisim arbitrantur. *Auctor Anonymus.*

Certitudo Judicii de singulis hominibus particulariter instituendi.

Mors metuenda non est nisi propter particulare judicium, quod subsequitur illam.

Verum est, nos decipi, cum ideis mortis, necessitatis, solitudinis, desolationis, quæ in mortis imagine occurrunt, perterremur; sed nequaquam decipimur, cum metuimus judicium Dei, quod mortem subsequitur; certum est enim judicium hoc nonnisi terribile esse posse conscientiæ, quæ se pluribus obstrictam novit sceleribus: & quinam est, qui hoc in statu non inveniatur, licet parum præteritæ vitæ rationem animo reputet? Verum est, momentum illud videri terribile, ex quo patet, inde universam pendere æternitatem: sed profecto cor hominis se ipsum variis modis illudit. Putat, mortis momentum esse pretium æternæ vitæ; at minime videt, non illud dumtaxat momentum, sed totum vitæ spatium a Domino requiri: momentum hoc in se nihil habere, quod præ cæteris Deo magis acceptum sit, ac totam rem in eo verti, simpliciter, quod istud extremum est; ac tandem non hoc momentum, sed totum vitæ spatium in impœnitentia transactum a Dei justitia ad examen vocari. *Liber, qui inscribitur: Ars cognoscendi se ipsum. Tomo 1.*

Hominum plerique non cogitant sibi reddendam esse rationē Deo in particulari judicio.

Homo hic in tenebris adeo densis vivit, ut vix gravissima sua delicta cognoscat, immo illorum plerique vulgo obliviscatur, prout ab ipso committuntur; sæpe etiam ad id alieno utitur ministerio, quasi majorem eorum congerere studeret acervum. Non desunt enim complures, qui præter peccata sua alienis etiam onerantur, & qui sub se plurimos habent, suis, ut ita dicam, sumptibus peccantes, quia quæ ab his patrantur peccata, illis a divina justitia imputantur . . . Nisi experientia docti sciremus, quo pacto hominum plerique vivunt, & rationem unam consulentes divinare vellemus, quomodo vitæ suæ rationem instituant illi, qui certissima scientia norunt intra breve temporis spatium terribile judicium hoc sibi esse subeundum; nequaquam crederemus illos ad id ferre numquam mentem advertere, hunc minimum esse, quod extimescant, ac nullam gerere curam, ut se se huic judicio disponant. Sola, quam de nobismet, ac de aliis habemus, experientia, fidem nobis potest adstruere, ut hujusmodi insanissimam cæcitatem credamus. *Essais de Morale. Tomo 4.*

In particulari judicio nihil celari, aut dissimulari potest.

Si judicium istud est terribile, quia respicit homines, & id quod receperunt a Deo, longe terribilius est, quia ibi nihil poterit abscondi. Actiones nostræ ultro sese proferent nos accusaturæ; ibi exuviæ apparebunt iis omnibus fucis, quibus eas in hoc mundo contegere adnitimur, non aliis solum, sed nobis etiam metipsis: namque haud ægre pro virili nobismet veram abscondimus causam, propter quam operamur, & credimus nos integerrimas ob rationes agere, cum nosmetipsos tantum inquirimus. Omnes isti fictitii colores evanescent, atque intentiones, quales in corde sunt, tales palam videbuntur. *Ibidem Tomo 5.*

Anima nocentis status ante, & post particulare judicium.

O miseram peccatoris conditionem, qui tot peccatis onustus, tot inspirationibus rebellis, tot ingratitudinum reus, inter duplicem æternitatem, alteram quidem pœnæ, alteram vero præmii, Paradisum inter, & Infernum, incertus, anceps, stu-

ſtupore perculſus præſtolatur Judicem, quem toties laceſſivit, & ſententiam, a qua provocare non poterit . . . Hoc nihilominus quamprimum eventurum eſt . . . Lata ſententia peccator dæmoni traditus ex eodem cubili, in quo mortuus eſt, præceps dabitur in Infernum. Quid autem tunc dicet infelix anima primum illuc inferens pedem, ac videns horribiles januas, quæ numquam aperientur, ut illinc exeat, audiens damnatorum, dæmonumque clamores, atque ad devorantes flammas, æternaque accedens incendia? *Pater Paulus Segneri, in vera Sapientia.*

Quomodo anima a corpore separata coram Deo ſtatuitur.

Anima a corpore ſeparata ſtatim rapietur ad Tribunal Judicis examen ſubitura; ſed cujus Judicis! quod examen! Oſtendet illi Deus peccata ipſius non amplius ad ſenſuum, affectuumque ejus lucernam, ſed ad ipſius veritatis lumen, ipſaque de illis Judex, ut Deus, judicabit. Quæ mutatio! Videbit illa non amplius ignorantia ſua obſcurata, non affectu ullo diſſimulata, non vanis prætextibus excuſata, immo etiam decepta ratione probata; videbit illa intuitu non amplius confuſo, ſed diſtincto, atque particulari, omnibuſque ſuis circumſtantiis conveſtita. At quænam hæ ſunt circumſtantiæ? Magnitudo beneficiorum, quæ accepit a Deo, & quibus illa perperam uſa eſt; Multitudo luminum, & gratiarum, quibus præoccupata fuit, & quæ ipſa contempſit; ſanctitas ſtatus vel religioſi, vel Chriſtiani, ad quem a Deo evocata fuit, & quem ipſa prophanavit; tutas, facileſque vias, quibus ſalutem ſuam conſequi poterat, & quas ipſa neglexit; patientia, qua Deus illius pertulit peccata, & qua ipſa abuſa eſt. *Pater Nepveu Tomo 1. Conſiderationum Chriſtianarum.*

Deus, quorũ in juſtitia Dei erimus debitores.

Credebam (Deus) mihi non aliud in hoc judicio metuendum eſſe præter peccata mea, ſed me miſerum! Video dona, gratiaſque tuas mihi magis adhuc eſſe metuendas, ſi enim a te nihil recepiſſem, nulla mihi ratio eſſet reddenda. Tibi Domine dicam cum ſervo nequam: *Patientiam habe in me.* Domine, patientiam habe, aliquantulum temporis mihi concede; non ita tamen audax ero, ut cum eodem dicam, me tempus poſtulare, ut quidquid debeo, tibi diſſolvam. Etenim heu! juſtitiæ tuæ decem millia debens talenta, hoc eſt, immenſis prægravatus debitis, quæ peccatis contraxi, bona fide me ſolvendo non eſſe fateor: ideoque peto, ut patientiam habeas in me, adhuc, ut tempus habeam flectendi iram tuam ad tuam clementiam confugiens. Fateor enim, & plurimo fuſſuſus rubore fateor, non aliam mihi ſupereſſe ſpem niſi in mea quidem pœnitentia, in tua vero miſericordia, neque aliud, quo as conflatum diſſolvam, niſi ſatisfactiones Filii tui, & pretium ſanguinis ejuſdem, qui quidem valoris eſt infiniti. *Idem. Tomo 4.*

Nobis Judicii ſeveritatem cogitantibus a peccatis abſtinendũ eſt.

Quiſnam adeo ſeverum proſpiciens judicium audeat laceſſere Deum, ſi cogitaverit intra breve temporis ſpatium, & fortaſſe ſtatim poſtquam peccatum admiſerit, ſe in judicium vocatum iri ad rationem reddendam cogitationum omnium, verborum, atque factorum juſtiſſimo judici, qui nullam habet rationem generis, & dignitatis perſonarum, & ſeveriſſime omnes juſtitiæ leges obſervat; Judici potenti, qui facere poteſt quidquid vult; quin illi quiſpiam reſiſtere poſſit; Judici ſupremo, coram quo mortales omnes, cujuſcumque conditionis illi ſint, apparebunt audituri aut vitæ, aut mortis æternæ ſibi illatam ſententiam prout bene, vel male fuerint operati. Qui hoc non tentaret judicio, hic ſane rationis uſum amiſiſſe dicendus eſſet. *Auctor Anonymus.*

Mortis noſtræ momento videbimus cara vanitatem, quæ prohibent, ne modo judicium hoc cogitemus.

Quod modo prohibet, ne noſmetipſos cognoſcamus, & audiamus rationem loquentem, noſque de officiis noſtris erudientem; intra quidem nos eſt affectuum noſtrorum tumultus; extra vero obtecta, quæ ſenſus noſtros fallunt, videlicet mendacium, dolus, adulatio, quæ nos ſeducit, confuſio, ſtrepitus, mundi hujus fulgor, quo modo perſtringimur, & diſſipamur. At in ipſo mortis articulo hæc omnia evaneſcent; nullus erit amplius pro nobis mundus, quia mundi hujus figura pro nobis jam erit elapſa: *Præterit figura hujus mundi.* Nullæ erunt amplius in nobis affectiones, quia mors illas extinxerit, nulli erunt circum nos adulatores, quia nullius intererit amplius nos perdere. Ab omnibus creaturis derelicti; ſoli erimus atque tunc pro jucundis, utilibuſque mendaciis, quæ nobis blandita fuerint, & quorum errore numquam abjicere voluerimus, moleſtiſſimas diſcemus veritates, quas numquam noverimus, quia illas ignorare quæſivimus. Tunc graves, ac veros defectus videbimus, ubi mens noſtra fictitias adeſſe virtutes opinabatur. Heu! quis ſtupor erit, ubi videbimus fortaſſe nos propter ea damnari, propter quæ plauſu excipiebamur, atque celebrabamur encomiis. *Pat. Giroust in Adventu Sermone de Judicio.*

Examen tunc habendum a Deo de omnibus cogitationibus, & actionibus noſtris. *Ad Heb. 4.*

Deus ſecundum Apoſtoli ſententiam, ſubtiliſſimus eſt, atque perſpicaciſſimus cordis noſtri Anatomicus: Omnes illius diſſectiones peragere novit; omnes animæ ſinus, latebraſque rimatur, ut occultiſſimos ejus motus diſcernat; hæc enim imago eſt, ſub qua illum nobis Sanctus Paulus repræſentat: *Pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Extricabit ille mixtionem hanc affectus, & rationis; alteram ſeparabit ab altera; ex una parte rationem ſtatuet, & affectum ex altera; diſtinguet intentiones, prætextus, ſpecies, & affectus, illuſionem, & veritatem; & efficit, ut ex hac diſcretione nos tandem aliquando, licet inviti, rationabiliter inferamus, in nobis nonniſi nequitiam, & improbitatem fuiſſe. Videte, inquiet ille, nobis tuæ lucis radium affundens; videte, & cognoſcite cauſam, quæ ad agendum hoc, & illo in negotio, hac & in illa occaſione, vos impulit. Hic improba fuit invidia, cui veri zeli colorem allinere didiciſtis, ibi ultio fuit, cui veri zeli perſonam tribuiſtis, officioſi eratis, & in pauperes effuſi, ſed ut facilius fines veſtros aſſequeremini: actiones veſtræ cum optimo exemplo erant conjunctæ, ſed proximum ædificantes voſmetipſos quærebatis, & nihil quærebatis præter vos. O Fideles! quot hypocriſis repente perſonam avellet! Quot chimericæ, fucatæque virtutes, ex quibus majori ſuffundemur confuſione, quam ex vitiis ipſis, quæ bona fide fatebimur! Quot aſſerta merita, quæ omnem in hoc mundo referent mercedem, nic in altero æternam dumtaxat confuſionem invenient! *Idem.*

Quomodo anima de corpore egreſſa perculitur.

Quonam terrore anima ex corpore egreſſa perculitur, cum earum rerum, quibus occupata fuit, inutilitatem deprehendit? Poſt ſe in mundo reliquit quidquid ibi poſſidebat, bona, ædes, dignitates, famam; & in ea, quam ingreditur, regione, nihil niſi terribilem invenit paupertatem, nullum bonum opus, meritum nullum ante ſe. Agnoſcit, ſed nimis ſero quam indignum erat curis ſuis illud, cui vacavit; ſola, attonita, ſtupefacta, quod omnia ſibi elabuntur, quod figura hujus mundi, quem tantopere deperibat, præteriit, ac vacuas invenit manus ſuas, quo dolore non afficitur? & videns ſe Deo rationem eſſe reddituram, quo timore non expaveſcit? *Pater Chrminats in ſenſibus pictatis.*

Metus quo corripitur peccator ad Dei judicium accedens.

Quinam eſt metus, ac terror illius, qui ſe videt coram ſupremo hoc Judice, de ſuo ſtatu in æternum diſceptaturo; Videt numerum fere infinitum peccatorum, quæ patravit, quæ ſeorſim nequaquam gravia videbantur, ſed quæ ſimul collecta montium inſtar videntur, hæc multitudo verborum, quæ inutiliter protulit; copia hinc diſtractionum, inaniumque cogitationum, quarum ne una quidem Deu fallit cognitionem, atque juſtitiam, videt actiones ſuas, quas meliores arbitrabatur, ſecundum Prophetæ verba, eſſe tamquam pannum menſtruatæ; invenit copias dæmonum immitium, crimina ſupponentium, ac de iis etiam, quæ numquam ab ipſo patrata fuerunt, infimulantium: videt has flammas ignis, ſubterraneos abyſſos, horrentes tenebras ad eos recipiendos, qui illuc præcipites delabuntur, præparatas. Hæc omnia objecta adeo terribilia ſeſe oſtendentia homini eo momento, quo anima efflaturus eſt, illius mentem percellunt, & niſi vita ejus ſtatus ipſius officiis reſponderit, illum formidine replent, perterrefaciunt &c. *Abbas Trappenſis in Officiis Vitæ Monaſticæ.*

Exprobratio a peccatore ſubcunda antequam in judicium accedat.

Tibi ſinge momentum illud, quo Pater familias dicturus eſt: *Jam non poteris villicare.* Ecce tempus illud, ac numerus annorum, quos tibi permiſeram, ut teſtatam faceres fidem tuam, atque eam mereris mercedem, quam præparavi electis meis, illa jam præterierunt, & effluxerunt. Non agitur ultra de doloribus, pœnitentia, deſideriis, votis, promiſſionibus: redde rationem villicationis tuæ; ſi vita tua nequaquam frugi fuit, & Chriſtiana, quomodo ſere poteris æquiſſimam Judicis exprobrationem, quod quadraginta, vel quinquaginta annorum ſpatio adeo parum ſollicitus fueris, ut ne unam quidem æternitate dignam actionem fueris operatus? Nonne tu ipſe hoc multo rubore ſuffuſus confeſſus es, cum tibi paucas vitæ horas ſupereſſe nuntiatum fuit: Nunc tibi ſubeundum eſt Dei judicium; quod vero judicium? judicium diſtrictiſſimum, ubi nihil judicis fallit vel cognitionem, vel ultionem; judicium ſevorum, & irrevocabile; cujus effectus omnes æterni ſunt, & ubi agitur de beatitudine, vel infelicitate numquam deſitura. Ibi ratio reddenda eſt tot gratiarum, quæ perierunt, tot afflatuum, qui contempti fuerunt, tot Sacramentorum, quibus per ſummum nefas abuſus es. *Pater Giroust Sermone de bona morte.*

Peccatores in Dei judicio nullam invenient peccatorum ſuorum excuſationem.

Quam afferre poterit peccator excuſationem in judicio Dei? Me conſuetudo, pravaque pertraxerunt exempla, inquies; verum cum mundi conſuetudo tuis obeſt negotiis, illine adhæres? Quandonam temporalia negotia ſecundum impiorum conſuetudinem dirigis? Dirigis autem, ubi de ſalute agitur æterna? Evangelium nonne vitæ tuæ norma erat? Ignorabaſne præcepta, quæ in eo continentur? Ignorabas quid in illo præcipitur, quidve prohibetur? At enim peccare te coegit rerum tuarum neceſſitas, ut familiæ tuæ conſuleres, ut filiis proſpiceres, ut dignitatem tuereris, verbo ut ex paupertate emergeres. Hoc dicis: ſed quodnam majus tibi eſſe debet negotium, quam ſalus tua? Nonne millies audiiſti, quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Sæpe honorem voluptati anteferendum cenſuiſti; potiori igitur jure animam tuam terrenis negotiis anteferre debebas. Quod feci, addis, parum erat; nihil erat. Eheu? appende hoc nihilum in ſtatera ſanctuarii, & videbis aliquid eſſe magnum, quandoquidem offendit Deum. At peccatum momento dumtaxat peractum eſt, & pro momento voluptatis damnor! Hoc ſciebas: nonne tuum erat ab illo abhorrere? Nonne hoc tibi dictum fuerat? Numquid per te ſtetit quominus peccatum diutius permaneret? Niſi te Deus ex viventium numero deturbaſſet, nonne in peccatis perſtitiſſes? Jam hoc decreveras; Videbat Deus voluntatem tuam, non ideo minus es nocens. Quid igitur reliquum eſt, quod te excuſet? Quid? ignorantia tua? Heu! numquid omnes Evangelicas veritates ignoraſti? Vel ſi illas ignoraſti, numquid deerat, unde edocereris? &c. *Sermo manuſcriptus pro Feria ſexta hebdomadæ quartæ in Quadrageſima.*

Terribilis peccatorum multitudo, de quibus in particulari judicio ratio erit reddenda.

Quiſnam varias vitæ ſuæ occupationes animo reputans affirmare poteſt, vel unum effluxiſſe diem, quo ipſe Deo non diſplicuerit? Efficiamus acervum peccatorum, quæ noſtris accidunt oculis, peccatorum, quæ aciem noſtram fallunt, peccatorum, quæ mundus probat, ac virtutum nomine appellat; peccatorum, quæ licet inviti damnare cogimur, peccatorum, quæ ideo excuſamus, quia noſmet corrigere detreſtamus. Coarcervemus peccata juventutis, quæ animi ægritudinem ſecutæ, non rationi, non officio, non religioni aures adhibet: peccata provectioris ætatis, quæ ratione utitur, ut conſideratius, ac pertinacius deerret; peccata quæ committimus, quia quibuſdam addicti ſumus ſtatibus, quorum obligationes, & officia perpendere abnuimus. Propriis aliena adjiciamus peccata, quorum ipſi rationem reddituri ſumus, quia eorum inhibere curſum negleximus. Ponamus, quamvis peccatum extrinſecus non appareat, jam conſummatum eſſe ex quo cor eodem infectum eſt: Ponamus ſecundo, peccare qui officiis ſuis non perfungitur æque ac qui re ipſa Dei legem infringit: Ponamus tertio, complacendi ſtudium, conſuetudinem, humanos reſpectus inanes eſſe rationes, quæ non admittentur a Deo, a quo judicabimur. Eheu! quot peccata? Et nonne jure David orabat Deum, ne introiret in judicium cum ſervo ſuo, quia nullus viventium coram illo poterit juſtificari? *Lambert. In anno Evangelico Homil. 51.*

Deus ad examen non revocabit ſolum mala, quæ fecimus, ſed bona etiam quæ facere debebamus.

Deus non examinabit dumtaxat malum, quod a nobis factum fuerit, verum etiam bonum, quod male fuerit factum, & bonum, quod facere poteramus, & minime fecimus. Numquid modo præſto eſſemus reddendæ rationi de vita noſtra? Ne una quidem in vita noſtra occurrere deberet actio, quæ non referretur ad Deum; & fortaſſe vix in toto vitæ noſtræ curſu, ne una quidem actio invenietur, quam unice propter Deum operati fuerimus. Ut tunc tuti ſimus, expendamus nunc bona fide quomodo uſi ſumus adminiculis omnibus, quæ non defuere, ut ſtatus illius, quem amplexi ſuimus, perfectionem aſſequeremur. Si in mundo viximus, quomodonam munere noſtro perfuncti ſumus? Si Eccleſiaſticæ, Regularive militiæ nomen dedimus, quomodo ſtatuum illorum munera obivimus? Heu! fortaſſe pridie illius diei advenit, qua de ſortis meæ æternitate judicium ferendum eſt; fortaſſe pauci tantum mihi dies vitæ ſuperſunt, ac inſtat æternitas, qua me temporis adeo perperam impenſi fruſtra pœniteat. Eheu ſi parum induſtrius ſervus reprobatur, eo quod humo ingeſta creditum ſibi talentum defodit; quid mihi ſentiendum de inutilitate vitæ meæ, cum tot occaſiones præclaras virtutis actiones edendi neglexerim? *Pater Croiſet Tomo 1. Receſſus Spiritualis.*

Contremiſcere debent fideles cogitantes ſibi in particulari judicio rationem eſſe reddendam. Homo non ſentiebat pondus debitorum ſuorum: contraxerat illa, atque ignorabat. Pacata fruebatur vita, quia deerat illi Dei lumen, quod verum ipſius ſtatum eidem oſtenderet; ſed ſtatim ac Deus illum ad ſuum tribunal accerſit, fere infinita debita ſua cognoſcit, ſummoque terrore perculſus intelligit non aliam ſibi ſpem ſupereſſe, præterquam quod in Domini ſui miſericordia, quem fletibus, lacrymiſque flectere adnititur. Hic ille ſtatus eſt, in quo ſe non ſemel fuiſſe Sanctus Bernardus teſtatur. Non moror, ait ille; juſtitiam hanc, quæ apparet, & quæ ſæpe noſmetipſos decipit, neque judicium adeo fallum, quod de internis affectionibus noſtris fecimus. Deum metuo; lumen illius extimeſco: illud nihilominus cupio, ut ejus ope debitorum meorum infinitum intelligam numerum donec me Deus patienter expectat, atque viam invenire poſſum eidem ex parte ſatisfaciendi. Maxima Dei erga me miſericordia eſt, ut me judicet antequam de me judicium ferat eo die, quo judicia illius erunt ſine miſericordia: *Liber, qui inſcribitur: Inſtructions Chretiennes, pro 21. poſt Penteceſten Dominica.*

Timor habendus de judicio, quod Deus de unoquoque noſtrum ſingillatim juſtificaret.

Ratio a cujuslibet ſtatus hominibus Deo in hoc judicio reddenda.

Hoc eodem ſpiritu S. Chryſoſtomus, poſtquam dixit; fere incomprehenſibile eſſet quot quiſque peccata committat in omni ſtatuum, ætatum, ſenſuumque genere, & quot ſenſim debita contrahat; quis comprehendere poteſt, ait, exempli gratia quot violentias, & ſcelera milites patrent? Quiſnam eorum duritiem, ſuperbiam, & avaritiam poteſt effugere? quis audet ſolum vocem attollere, ut conqueratur de injuriis horum hominum omni lenitate carentium, qui velut aquam bibunt iniquitatem, qui virtutem ne ex nomine quidem agnoſcunt, vel qui illam agnoſcunt, ut in ludibrium traducant? Quis dicere poteſt quot malorum rationem reddituri ſint hoc in judicio togati homines, Magiſtratus, in quorum manibus tota ſita eſt juſtitia, & qui ſæpe in judiciis ſuis ſunt injuſtiſſimi, qui vel utilitatem, vel odium, vel favorem in judiciis ferendis ſequuntur, qui viduam & pupillum negligunt, & infirmi, invalidique ſunt in illos, a quibus vidua, & pupillus opprimuntur? Quis poteſt non conqueri de vulgi flagitiis? De hac multitudine iniquitatum Mercatorum, artificiumque, qui mendacium in lucro ponunt, ac illud commodam ad locupletandam viam putant? Lucrum dumtaxat diligunt; terrena tantummodo ſapiunt, invicem crudeles exercent invidias, ac ſe viciſſim mutuis, atrocibuſque obtrectationibus proſcindunt. Quot injuſtitias divites patrant in domeſticos ſuos, in miniſtros, bonorumque ſuorum conductores? Miſeris fame pereuntibus intolerabilia onera imponunt; eoſque novis quotidie exactionibus torquent. Tellus vel uberes fructus attulerit, vel nullos, nihil de conſuetis vexationibus remittunt, & ne minimum quidem indulgent. Præſto ſunt, ut illorum excidio carceres addant, & in eos barbarorum inſtar dæſeviunt. Attamen quinam iſta conſiderat; immo quis non juſtitiæ prætextu hanc ipſam ſævitiam colorat? Quis cogitat ſe de hujuſmodi ſeveritatibus Deo rationem eſſe redditurum? Sin autem in Templum fiat tranſitus, & ad examen rovocentur illi, qui Deo ſeſe magis parere profitentur, quot ibi detegentur ſcelera, quæ, qui nocentiſſimi ſunt. vix agnoſcunt

ſcunt? Quot ibi in Deum infidelitates committuntur? Quoties hic verborum indignitate laceſſitur? Quot ibi ſcandala præbentur? Quot mala exempla infirmis traduntur? Ita ſi per omnes ſtatus, & conditiones percurramus, quis non contremiſcat cogitans ſibi prodeundum ad judicium Dei ſeveram, diſtrictamque omnium actionum ſuarum rationem reddituro? *Idem*.

Quid conſilii capiendũ cogitanti judicium poſt vitæ hujus finem habendum.

Anima judiciorum Dei terrore perculſa, ac ſerio cogitans multitudinem ſcelerum ſuorum, toto corde amplectitur, quidquid conferre poteſt ad immanem hanc ſarcinam abjiciendam. Nulla eſt vitæ profectio adeo moleſta in auſteriſſimis etiam religionibus, quæ ſuavis eidem non videatur. Trepidatio, qua expaveſcet ante Deum judicem proditura non aliam nobis reliquam facit in tanto metu ſpem, quam ad Dei miſericordiam confugere, ejuſque juſtitiæ ſatisfacere. *Idem*.

Ut nos huic judicio præparemus, per pœnitentiam expiare debemus peccata.

Fateor equidem pœnitentiæ neceſſitatem naturæ moleſtam eſſe; verum enim vero in Religione inevitabilis eſt. Fideles, quandoquidem non alia ſuppetit ratio, qua noſmet adeo ſevero, terribilique judicio præparemus, in quo de noſtra agitur æternitate, ullane cura nimia eſſe poteſt ad judicis iram leniendam, ne in ſtatera ejus poſiti leves inveniamus, & ne malorum noſtrorum pondus bonorum operum ponderi præpolleat? Quantumvis nefarii peccatores fueritis, vel ſitis, ne deſperetis miſericordiam in hac vita vos conſequi poſſe; quandoquidem Judicem habetis illum ipſum Deum qui venit, ut ſalvos faceret peccatores; ſed eos peccatores, quos vere ſcelerum ſuorum pœniteat. Graviſſima quælibet crimina Jeſu Chriſti Sanguine, & contritionis fletibus expiata non ſolum non imputabuntur eorum auctoribus coram Deo, verum etiam cauſa fient gloriæ illorum, & meritorum, quibus illatam Judicis ſupremi Majeſtati contumeliam reparabunt. *Abbas du Jarry Sermone pro Feria quarta Cinerum*.

Terror animæ quæ ad Dei judicii rapta ſua ſcelera inſuetur.

Quis terror, quæ formido, videre quodammodo ex imo conſcientiæ ſinu renaſci innumerabilem ſcelerum multitudinem, quæ hactenus oblivione fuerant obruta! Heu! quot adoleſcentiæ peccata, quæ examen noſtrum fetellerant, quot peccata gravia, quæ nullo in diſcrimine habita fuerant; quot etiam, de quibus confeſſi ſumus, & quorum propter contritionis defectum, veniam minime obtinuimus! Hæc omnia ſeſe offerunt animo noſtro, cum coram Deo prodimus; & quinam tumultus, quæ trepidatio ad tot monſtrorum iniquitatis conſpectum? Bone Deus! quot omiſſiones in noſtri ſtatus officiis quot etiam pietatis actiones, quæ indigent pœnitentia, quot prophanata Sacramenta, quot deſoſſa talenta, quot gratiæ neglectæ! Sanguinis Jeſu Chriſti pretium vel contemptum, vel perditum: acerrimi ſtimuli, conſcientia exagitans quos dolores, quem terrorem non excitatis? *Pater Croiſet Tomo ſecundo Receſſuum*.

Ejuſdem argumenti.

Animo concipite, ſi fieri poteſt, quinam ſint horribiles animæ terrores ſentientis, le vix corpori hærere, atque poſt duo, vel tria momenta ſibi prodeundum eſſe ante Tribunal Dei: Nullum inſenſiorem habet inimicum propria conſcientia; hæc illi, antequam expiret, omnia ejuſdem facta repræſentat; hæc, ut ita dicam, judicium, ſententiamque prævertit . . . Sentimus temporis finem adeſſe, atque jamjam in terribilis æternitatis limine videmur adſtare: ſortis incertitudo, calamitoſæ æternitatis metus, rationes eamdem timendi animam in eum redigunt ſtatum, qui præcox infernus poteſt appellari. *Idem*.

Status, in quo ſe videt anima antequam coram Deo appareat.

Miſera hæc anima jamjam coram Deo, ſupremo Judice, quem a ſe toties contumelia affectum fuiſſe reminiſcitur, proditura debitis ſe gravatam ſentit, quibus perſolvendis & vires, & tempus deſunt. Poſſet illa quidem adhuc in meritis, & Sanguine Redemptoris invenire, unde divinæ ſatisfaceret juſtitiæ; verum eone in ſtatu eſt, ut iiſdem uti valeat? Perterrita, atque mirum in modum perturbata eamne ſpiritus præſentiam, & animi tranquillitatem habet, quæ eſt ad id neceſſaria; Sed infelix animam efflat, ſtatimque in judicium arripitur, ſententia profertur, & adimplentur. Statim terribilem ingreditur æternitatem; ſtatim ſe damnatum ſentit, ac nimis intelligit ſeveritatem pœnarum, quæ ſibi ſunt in æternum perſeverendæ. *Idem*.

In hoc judicio nulla eſt perſonarum acceptio, merita ſolũ ſpectantur.

Nulla habetur ratio ætatis, dignitatis, officii; ex omnibus titulis poſt mortem ſolum reſtat, atque conſideratur Chriſtiani nomen, & ſecundum illud judicium inſtituitur. Solemnes promiſſiones in Baptiſmo peractæ, arctæ obligationes in eodem contractæ, omnia Criſtianæ Legis præcepta, & Evangelica inſtituta ſunt hujus judicii norma, & ſi anima hæc eſt in mortali peccato, licet hoc pravum tantummodo eſſet deſiderium, & noxia cogitatio, illa ſtatim æternis ignibus adjudicatur. Quantumvis durum ſit iſtud judicium, quantumvis terribilis ſit ejus ſententia; anima ipſa damnationis ſuæ ſentit juſtitiam. Ibi excuſationes nullum habent locum, nulla proferri poteſt imbecillitas, nulla pravi exempli noxa, nulla tentationis violentia; quilibet ſentit culpam, atque injuſtitiam ſuam; & omnes iſti prætextus, omnes inepræ excuſationes, quæ afferuntur in vita ad culpam declinandam, vel ad ſeipſum fallendum tunc augent dolores, atque in nos iram, & indignationem noſtram inflammant. Omnia igitur amiſſa ſunt, tempus, ſalutis adminicula, infinitum Sanguinis, mortiſque Redemptoris pretium, omnia pro me amiſſa ſunt, & omnia in æternum amiſſa, quia Deum ipſum amitto.

Metuendi locus eſt, ne bona opera noſtra talia non exiſtimentur in judicio Dei illa petentis. *Apocal. 3.*

Quæcumque fecerimus, metuendum nobis ſemper eſt, ne in Dei judicio exprobremur, quod operati nequaquam fuerimus ea, quibus pro peccatis noſtris ſatisfacere valeamus; quod ſterilis ſit pœnitentia noſtra, & Chriſtiani hominis munera nequaquam digne perfuncti fuerimus: *Non invenio opera tua plena*. Quis ſcit utrum ſupremus Judex, poſtquam ad examen vocaverit, atque ad ſanctuarii pondus appenderit omnes operationes noſtras, in particulari judicio pronunciet, nobis ea deeſſe, quæ ad beatam in cœlo æternitatem promerendam requiruntur. *Inventus es minus habens*. *Daniel. 5.*

Nobis metuendum eſt, ne optima etiam opera noſtra indigna ſint, quæ coram Deo appareant, qui ipſa ſanctitas eſt; & ne omnis juſtitia noſtra, ſi Deus illam cum ſuæ perfectione metiatur, nihil juſtitiæ habeat, ſecundum illud Sancti Gregorii: *Juſtitia noſtra, juſtitiæ Dei comparata, injuſtitia eſt*. Sanctus hic Doctor ita loquitur, ſciebat enim, nos plerumque iis etiam, quæ propter Deum facimus, tantum ſuperbiæ, amoriſque proprii immiſcere, ut quantumvis bonæ in oculis hominum actiones videantur noſtræ, metuendum ſemper ſit, ne ab illo damnentur, qui cum ſit veritas ſuprema, omnia, qualia ſunt, intuetur. *De S. Martha Tomo 1. Tractatuum Aſceticorum. Tractatu de peccatis venialibus*.

Fere ſemper nimis ſero expectamus ut noſmet præparemus rationi reddendæ Deo.

Quomodo ſe animus præparare poteſt ad examen adeo diſtrictum inter tot occupationum tumultus, quæ vix momentum relinquunt, quo ſibimetipſi ſuas cogitationes impendat; Numquid tempus aderit ſeſe præparandi, cum jamjam imminebit hora perſolvendi communia officia naturæ, cumque ſupremi judicis conſpectus appropinquare ſentietur? Si miles tunc ſolum præpararet arma, cum acie decertandum eſt: ſi publicanus tunc rationes ſuas ſupputatet, cum eaſdem Principi redditurus eſt: Si orator tunc ſolum cauſæ animum adverteret, cum coram judice cauſam peroraturus eſt, veſtrane poſſent illi ſententia conqueri, ſi tamquam dementes, atque audaces traducerentur? Et improbare poſſumus conſilium illius, qui ut ſuæ ſaluti conſulat, ad breve tempus in ſolitudinem ſecedit, ut nullo irretitus impedimento graviſſimo huic operam navet negotio? *Liber, cui titulus; Colloquia Abbatis Joannis, & Presbyteri Euſebii Colloquio II.*

Hoſtiles damnabuntur non propter commiſſa tantum ſcelera, ſed propter bona opera omiſſa.

Ad examen vocabitur non ſolum quidquid mali fecerit homo, ſed etiam quidquid boni fecerit, & facere potuerit. Quamplurimi in Dei judicio condemnabuntur non propter peccata, quæ patrarunt, ſed propter bona opera, quæ omiſerunt. At enim ſi nihil fecerunt, quodnam ob ſcelus damnabuntur? Verum ſi nihil fecerunt, quodnam ob bonum præmio afficientur? Attamen nil medium eſt. Præmiumne meretur, qui nihil fecit? At nonne magnum malum eſt nihil facere propter Deum, qui pro nobis tanta fecit, & pertulit? Nonne magnum malum eſt nihil facere, cum a Domino laborare jubeamur? Servus iners nonne eſt ſervus nequam? Creditiſne illum vacare culpa, cum ad id conductus, ut famuletur, nihil faciat? Ideo in illum animadvertitis; ideoque & Deus vos in ſuo judicio damnabit. *P. Nepveu Tomo 1. Conſiderationum*.

Bonum, quod ſecerimus à

Neque ſolum in hoc judicio ea ponderabuntur,

examen revocabitur.

quæ bona ab homine omiſſa, verum etiam quæ facta, ſed perperam facta fuerint: non enim ſatis eſt bonum facere: illud quoque bene faciendum eſt. Ut actio bona ſit, nihil deeſſe debet vel in principio, vel in fine, vel in objecto, vel in circumſtantiis illius. Quotuſquiſque ille eſt, in quo hæc omnia inveniantur? Quot actiones bonæ, juſtique ponderis videntur, quæ ubi ad ſanctuarii pondus appendantur, leves eſſe reperientur? Una tantum circumſtantia, una humana ratio, unica amoris proprii particula omnia corrumpere poteſt, & quod meriti materia eſt, in damnationis cauſam convertere. *Idem*.

Omnia vitæ noſtræ peccata tunc nobis tamquam in ſpeculo proponentur.

Eo momento, quod mortem ſubſequitur, peccator ante oculos ſuos omnes videt cogitationes; omnia verba, actiones omnes vitæ ſuæ adeo vivis, ac naturalibus coloribus expreſſas, ut illas non agnoſcere nequeat. Non eſt cur veteres ideas revocet, longiſque utatur ſermonibus; anima enim a corpore ſeparata, non utens ultra phantaſmatis pro cognitionibus, ſed habens eas tantum imagines, quas illi imprimit Deus; repente, ac in ictu oculi, ſed oculi perſpicaciſſimi anima totum ſuum vitæ curſum videt, quæ ſibi tamquam in tabula exhibetur. Nunc peccata noſtra nonniſi confuſe videmus: quapropter conſcientia noſtra libro comparatur; ſed in ſe circum voluto, quales erant antiquorum libri, qui ideo volumina appellabantur, ubi litteræ, ſyllabæque aliæ aliis erant ſuperimpoſitæ, & ubi nullus ordo, vel nexus inſpiciebatur; ſed cum explicabantur; tunc ibi legebatur hiſtoria, vel alius aliquis ſermo. Ita nunc peccata in conſcientia noſtra ſunt tamquam in libro, & volumine in orbem circumacto complicatoque: illa ſummatim dumtaxat videmus, omnia confuſa ibi ſunt, nullumque ordinem habentia. Sed cum librum hunc aperiet Deus, tunc ibi omnem vitæ noſtræ uno intuitu legemus hiſtoriam. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta*.

Peccator in particulari judicio ad examen vocatur.

En igitur peccator ad terribile divinæ juſtitiæ tribunal coram Jeſu Chriſto ſupremo Judice, ut diligenti examine excutiatur. Aperiuntur ingentes rationum libri, ubi deinceps recenſita ſunt, quæcumque ille in vitæ ſuæ curriculo peccata commiſit. Ibi tamquam in ſpeculo detegunturomnes juventutis errores, omnia vitæ flagitia; omnia ibi connotata ſunt per annos, menſes, hebdomadas, & horas. Ratio ex eodem petitur minimarum cogitationum, inutiliumque verborum; conſcientia ipſius illum redarguit probris, aculeiſque, ac miſſile teſtibus par, O terribile examen! Eheu! ſi inutilium quoque verborum ratio reddenda eſt; quid erit de tot obtrectationibus, juramentis, imprecationibus, obſcænis vocibus, nefariis actionibus? *Ex ſpiritualibus colloquiis P. le Maitre*.

Ratio petetur ex peccatore malorum, quorum extiterit cauſa.

Redde rationem, Dominus inquiet, tot ſcandalorum, quæ peperiſti; tot animarum, quas pravis exemplis perdidiſti; tot peccatorum, quæ alii te ſollicitante, ac auctore patrarunt; famulorum, filiorumque, qui interierunt culpa tua, eo quod illos erudire neglexiſti. Opuſne erat, ut dæmonis officio perfungereris perdens homines, quos ſanguinis, vitæque meæ pretio redemeram? Hæc probra ego non timeam? Ulluſne eorum qui meo regimini ſubſunt culpa mea interiit? Exempla mea ullne ſcandalum attulerunt? Heu! Nonne ſatis eſt me ipſum damnare, quin cauſa exiſtam damnationis aliorum? O terribilis judex quam metuenda mihi ſunt judicia tua! *Idem*.

Peccatos nullam inveniet excuſationẽ.

Peccator ſe accuſatum videns, atque damnatum judicio Dei, ſe vellet excuſare, verum ſtatim in ipſum ſua inſurgit conſcientia, eumque inexcuſabilem eſſe demonſtrat. 1. ex parte Dei, qui nullas illi gratias denegavit, eaque omnia illi contulit ſalutis ſuæ operandæ adminicula. 2. ex parte Dæmonis; ſi enim ab illo victus fuit, culpa ſua victus fuit, cum Deus ſatis, ſuperque gratiarum illi conceſſerit, quibus omnes ſuperaret tentationes, ſi iiſdem uti voluiſſet. 3. ex parte hominum & occaſionum peccati; illius quippe intererat periculoſas evitare occaſiones, pravaſque effugere ſodalitates. Igitur de ſe jam actum videt; hinc Dæmones conſpicit obſidentes, inde Angelos recedentes. Super caput Judicem ſuſpicit irritatum, & ſub pedibus deſpicit Infernum accenſum. Quidquid extra ipſum eſt, in illum inſurgit, ac ſe intus crudelibus conſcientiæ ſtimulis laniatum ſentit. *Idem*.

In judicio rationem reddituri ſumus de naturæ tantis, quibus donati ſumus.

Timeamus ſortem ac pœnam ſervi nequam, qui terræ infoderat, atque inutile effecerat talentum, quod ſibi creditum fuerat. Sed multo magis nobis metuendum eſt, quia non ſolum otioſa reliquimus bona, quæ divinitus accepimus; ſed etiam iiſdem abuſi ſumus, ut eorum auctorem laceſſeremus, æternamque nobis conflaremus infelicitatem. Eheu! quid hac in re non exprobrabit aliquando nobis Deus eum oſtendet nos tot bonis auctos, ut facilius ſalutem noſtram operaremur, & immenſos in Cœlo theſauros acquireremus, iiſdem contra & Deum, & noſmet abuſos fuiſſe; mentem noſtram, quæ Deo, divinique perfectionibus vacare poterat, nugis tantum vacaſſe; cumque iis bonis qualitatibus, quibus donati fueramus, immenſos meritorum theſauros congerere poſſemus, irae dumtaxat congregaſſe theſauros? Damnabimur tamquam ſervi inutiles, & nequam. Sed hanc damnationem evitabimus nunc talenta hæc impendentes ad majorem illius gloriam, a quo recepimus illa; atque ipſe eadem merito nobis ad beatæ æternitatis acquiſitionem adſcribet. *Auctor Anonymus*.

JUDICIUM EXTREMUM,

ET GENERALE.

Necnon quidquid ad hoc pertinet argumentum.

MONITUM.

Quemadmodum generale judicium aliquid habet commune cum particulari, de quo ſuperiori egimus titulo; mirum eſſe non debet, ſi hoc in loco aliquid dictis occurrat ſimile circa Judicis qualitates, peccatorum examen, impiorum damnationem, & alia quædam, quæ in utroque judicio ſimili ratione ſunt inſtituenda. Verum enimvero hæc a nobis alia ratione pertractabuntur, ne quæ allata ſunt, iterum deſcripta videantur, niſi fortaſſe aliqua argumenti, vel partitionis repetitio evitari omnino nequiverit.

Ut autem propoſito eligatur, atque efficiatur ſermonis ſtructura in argumento, quod adeo late patet, atque ſe extendit, extremum hoc judicium ſpectari poteſt, vel generatim, oſtendendo illius neceſſitatem; terrorem, quem de eodem in hac vita debemus concipere, formidinem, quæ reprobatorum animabus incedet, cum ad ſupremi Judicis Tribunal prodibunt; effectus, quos cogitatio, & hujus judicii metus in fideli parere debent.

Quod ſi hoc judicium ſpectemus aliqua ex parte, quæ Auditorem magis efficiat; ea omnia, quæ magna illa die eventura ſunt, ad aliquam ex his circumſtantiis rediguntur; ad ſigna, quæ judicium præcedent, & quæ in Prophetis, atque Evangelio memorantur; ad perſonas, quæ in hoc judicium prodibunt; ad crimina, quæ contra peccatores proferentur; ad probationes, ac teſtes; ad iram, qua Judicis facies flagrabit; ad ſententiam contra reprobos ferendam, denique ad exitum judicii, videlicet ad latæ ſententiæ executionem.

Hoc